... OF THE UNIVERSITY OF ILLINOIS

[illegible]ATIONIS [illegible]IONE LIVIVS POLYBI HISTORIIS VSVS SIT

PART. I.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORVM CAVSA


VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXX. MENSIS MAII ANNI CIϽIϽCCCLX

PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

LVDOVICVS TILLMANNS

MOENOFRANCOFVRTANVS.



ADVERSARIORVM MVNERE FVNGENTVR:

WOLFGANGVS HELBIG, REG. PHILOL. SEM. SENIOR.
BRVNO NAKE, REG. PHILOL. SEM. SOD. ORD.
DIEDERICVS VOLKMANN, REG. PHILOL. SEM. SOD. ORD.

BONNAE

FORMIS CARTHAVSIANIS.

IOANNI CLASSENO

ALFREDO FLECKEISENO

PIETATIS CAVSA.

Quo modo Liuius adhibuerit Polybium fontem in componendis libris XXXI.—XXXXV.

Mirum fortasse uideri potest, quod de ratione, qua T. Liuius Polybio usus sit, scripturi initium facimus ab iis historiarum libris, qui ex opere Polybiano non integri supersunt, sed in reliquiis tantum iisque paucis et laceris; cum enim ea historiarum Polybi pars, quae respondet Liui libris XXXI.—XXXXV., comprehendat libros XVI. (inde a capite XXIII.) — XXX. (usque ad caput XV.) et cum ex opere Polybi supersint integri V tantum primi libri, uersabimur in quaestione nostra non in integra historiarum Polybi parte, sed in fragmentis, quae cum partim in excerptis operis Constantiniani asseruata, partim ab Athenaeo, a Plutarcho, a Suida cet. tradita sint, nunc editionibus Polybi inseri solent. Nosmet ipsi quamquam illam rem aliquantum incommodi quaestioni, quam instituturi sumus, afferre confitemur, tamen nobis non uisi sumus tanti facere debere, ut consilium propositum immutaremus: namque primum quaestione nostra hac ratione instituta magnum quoddam lucramur, u. pag. 3—4, quod, si aliter rem institueremus, e manibus, ut ita dicam, elabi pateremur, deinde, si alio ordine adhibito inquirere tentaremus in Liui usum considerantes prius libros XXI.—XXX., re uera, ut experti sumus, ne proficeremus quidem tantum, quantum quis putaret primo aspectu. Liuium enim cum prorsus improbabile sit in prima et secunda decade Polybio usum esse — quod nuper Lucas, „Disput. de ratione, qua Liuius in libris historiarum conscribendis usus est opere Polybiano“ part. I, p. 17, Glogauiae 1854 contendit — nec uerum sit in tertia decade operis Polybiani auxilio caruisse — quod Michael, „In wie weit hat Livius den Polybius als Hauptquelle benutzt“? Torgau 1859, p. 8 sq. euin-

cere studuit[1]) —, exstant duae partes earum historiarum, in quibus conscribendis Polybium inter fontes habuit, et prior quidem decas tertia[2]), altera libri XXXI.—XXXXV., diuersae inter se et quantum pertinet ad res gestas, quae in ipsis narrantur, et quantum pertinet ad modum, quo Liuius in ipsis usus est Polybio. Quisquis igitur inquirere uolet, qua ratione Polybius a Liuio sit adhibitus, aut illam partem aut hanc prius perscrutari debere uidetur, propterea quod non proderit utriusque simul rationem habere. Atque ei quidem, qui de tertia decade prius quaerit, multum prodesse putari potest, quod habeat pro magna parte integrum, quem comparare possit, contextum Polybi (librum III.) ob eamque rem ipsius quaestio firmiore fundamento nitatur, ei uero, qui initium faciat ab altera parte, obesse putari potest, quod inquirendum sit in libros Polybi mutilatos itaque operandum instrumento manco: ita quidem putabit, quicunque perlegens Liui libros XXI.—XXIIII. Polybi librum III. in comparationem uocabit. Quisquis uero satis considerata illa quaestione, quae est de initio Liuiani usus historiarum Polybianarum, intellexerit ueram esse illam sententiam, quam proposuerunt[3]) Niebuhrius, Vortr. über röm. Gesch., her. v. Isler, I, p. 49 (Röm. Gesch. nach Niebuhr's Vortr., bearb. v. Schmitz, üb. v. Zeiss, I, p. 81) et Schweglerus, Röm. Gesch. I, p. 110, quibuscum consentiunt Nitzschius,

1) Quibus argumentis Lucas sententiam suam probare uelit possitque, non intellegimus, quamuis inter legendum quaesiuerimus, num qua peti possint ex Liuio illius sententiae argumenta. Michaelis sententia, cum hic nobis sit longum refutare singulatim, alia occasione data fortasse pluribus uerbis refutabitur; ceterum, ut hoc statim moneamus, contra eius sententiam, quam infirmis argumentis niti unusquisque perspicit, loquitur et Liui dictio in illius decadis libris et loci XXX, 45, 5 et XXXIII, 10, 10 per se considerati: quas enim alias „res Romanas“ oppositas „rebus in Graecia gestis“ Liuius XXXIII, 10, 10 intellexisse putandus est, nisi bellum Hannibalicum (iuxta alias res)? Taceamus de plurimis aliis rebus, quae Mich. sententiae obstant, nostrae fauent.

2) Num tota, de hac re alio loco uidendum est.

3) Etsi nondum probata est argumentis allatis sententia illa nec satis accurate definita, tamen ne dubites ueram putare.

Q. Fabius Pictor, in Allgem. Monatsschr. f. W. u. Lit., 1854, p. 69 q. s., Weissenbornius, de T. Liui uita et scriptis (in edit. Teubn. altera), p. 34, ann. 95 et, ut uidetur, Hertzius, prolus. de T. Liui Patau. uita ac scriptis, p. 21, uidebit prorsus nullam partem historiae Polybianae, qua olim usus sit Liuius, nunc integram restare itaque illud commodum, quod exstet in potestate comparandi Polybianum contextum, quem dicimus, integrum, ei quoque deesse, qui quaerat de Liui decade tertia.

Atque nobis quidem prius de libris XXXI.—XXXXV. Liui quaerendum esse uidebatur, quia quaestio, quae est de decade tertia, et per se minus prodesse potest quam nostra et, quidquid proderit, facilius poterit prodesse, si comparatio librorum Liui XXXI.—XXXXV. cum Polybi XVI.—XXX. prius erit instituta. Cum enim tota quaestio, quae est de ratione, qua Liuius Polybio usus sit, pro maxima parte prosit arti criticae in Liuio Polybioque factitandae et ita quidem, ut plurimi loci Liuiani et Polybiani, qui sibimet respondentes nunc aliud praebeant in Liui, aliud in Polybi uerbis, secundum certas leges nonnunquam ita sint emendandi, ut consensus inter utrumque scriptorem restituatur: hoc multo rarius et multo minore cum fide in decade tertia fieri poterit, quippe in qua multo plures fontes eosque pro maxima parte Romanos adhibere solitus sit Liuius, cf. Lachmann, de fontib. Liui II, 52, q. s., 8 q. s., u. infra p. 12—13, et in qua multo magis praeter Polybium usus sit aliis, quam in decade IV. et V., cf. Lachmann l. l., p. 46, §. 22 ex. Ita in decade III. unoquoque fere loco dubitandum erit, num re uera Polybi uerba in Liuianis sint agnoscenda an alius cuiusquam scriptoris, dubitandum igitur erit, num mutare liceat[1]; in libros XXXI.—XXXXV. dubitatio illa non cadet, u. p. 7 q. s. Accedit, quod ea quaestio, quae est de decade III., multo melius institui poterit, si prius ex ea consideratione, quomodo Liuius in libris posterioribus

1) Ceterum in illa quoque decade multi loci Liuiani ex Polybio emendari possunt.

— in quibus Polybius fuit fons princeps — illo usus sit, cogitatione et mente eam consuetudinem rationemque, qua uti et uertere soleat, complexi erimus: ita optime progredi poterimus ad inquirendum in eos libros, in quibus utrum fons et quatenus princeps fons fuerit nondum liquet. Atque hoc quidem est bonum illud, quod nos lucraturos esse supra diximus: ceterum licet habeamus truncos tantum librorum XVI.—XXX. Polybi, tamen ex iis aliquanto plura et intellegi et concludi possunt, quam quis primo aspectu suspicetur.

I.

De condicione, quae in Liui usu intercedit inter Polybium et relicuos fontes.

Liuius ipse sex locis Polybium fontem nominat, quorum primus quidem (quo Polybius appellatur haudquaquam spernendus auctor [1]) non pertinet in nostram quaestionis de Polybio adhibito partem, quippe qui exstet in decade III, l. XXX, 45, alii uero accuratius sunt inspiciendi: XXXIII, 10; XXXIIII, 50; XXXVI, 19; XXXVIIII, 52; XXXXV, 44. Quibus ex locis quamuis manifestum sit non eos solum esse spectandos, quibus Liuius de Polybi fontis auctoritate fideque disertis uerbis *iudicet*, sed eos quoque, quibus nulla laude addita narrationem alicuius rei Polybianam *commemoret dumtaxat* siue probans siue dubitans siue refutans, tamen ne ita quidem ex iis tantum intellegi posse uidebimus, quantum sufficit ad diiudicandam condicionem, quae intercedat inter utrumque scriptorem. Inspiciamus enim illos locos.

Liuius XXXIII, 10, ubi numerum militum ad Cynoscephalas caesorum refert, spretis Valeri Antiatis et Claudi Qua-

1) u. Niebuhri, Röm. Gesch. I, p. 592.

drigari auctoritatibus „Polybium sequitur non incertum auctorem cum omnium Romanarum rerum tum praecipue in Graecia gestarum“; praefert igitur hoc loco Polybium fontibus Romanis in narranda re inter Romanos et Macedones gesta in Graecia. XXXIIII, 50, ubi agitur de ciuibus Romanis, quos Achaei, cum olim ab Hannibale emissent, nunc Quinctio restituerunt, uerba „quod Polybius scribit centum talentis eam rem Achaeis stetisse“ argumenti uim habent, qua ex re prodit Liuio Polybi auctoritatem uisam esse dubitationi prorsus non subiectam. XXXVI, 19 dicit, se numerum exercitus Antiochi — quem XXXV, 43 attulerat — sumpsisse ex Polybio numeri Valeriani ratione non habita; XXXVIIII, 52, ubi agitur de Scipionis morte, et Polybium et alios fontes refutare conatur sua ipsius ratiocinatione fretus, ita ut hic locus in diiudicanda condicione, quae intercedat inter Polybium et alios Liui fontes, nullius fere momenti esse possit; XXXXV, 44 denique, ubi scribit de Prusia rege, scriptoribus Romanis opponit Polybium nec hunc nec illos laudans, sed tamen, ut uidetur, paullo plus fidei illis habens.

Ad quos locos si respicimus, nihil ex iis pro nostra quaestione concludere possumus, nisi Liuium Polybio duobus illis locis, quibus agatur de re Romae gesta, non tribuisse parem fidem atque alias, scilicet eum in aliis rebus Polybium scriptoribus Romanis anteposuisse, in Prusiae uero Romae uersati historia parem fere utrisque auctoritatem tribuisse, in Scipionis denique morte indaganda nec Polybio neque annalibus Romanis credidisse suum ipsius iudicium sequentem.

Quae cum intellexerimus, condicio, quae intercedit inter Polybium et ceteros fontes Liui, satis quidem manifesta nobis prorsus nondum est, sed tamen fundamentum ex ipsis Liui uerbis petitum nobis datum est, cui inniti possit tota quaestio. Adici nunc possent illis, quos considerauimus, locis Liuianis ii, quibus Polybi nomen ipsum a Liuio non est appellatum, sed quibus Polybium in numero eorum auctorum esse, de quibus Liuius generali uoce multos complectens iudicet, uerisi-

millimum est: sed aptius nobis uidetur nunc mittere, postea (p. 21) afferre illos locos, qui fere omnes aliquid incerti habeant. Proficiscamur ergo a rebus certioribus.

Liui uerba l. XXXIII, 10, 10 accuratiorem, qua egent, interpretationem adipiscuntur non solum ex diligenti collatione reliquiarum Polybi et librorum Liui, sed etiam ex ratione eius consili, quod illis uerbis significat Liuius, recte considerata. Si enim operis Polybiani rationem habentes ea, quae Liuius narrat, distribuimus in certa quaedam genera, primum exsistit genus earum rerum, quas Polybius non habet, Liuius tradit ex aliis fontibus hauriens; de eo genere sermo hic omnino non erit, quia prorsus non pertinent ad nostram quaestionem. Sunt in hoc genere res Romanae Romae aut in Italia actae permultae, bella minora cum Gallis aut Hispanis gesta, quae commemorare a Polybiano consilio historiae conscribendae prorsus diuerso ab eo, quod Liuius habuit, cf. Nitzsch., Polybius, Kiel, 1842, p. 89 q. s., abhorrebat, cum non pertinerent in eam historiam, quam dicimus uniuersalem, cf. Polyb. I, 4; III, 2 q. s.; III, 106 (§ 10—11) cet. Lachmann., l. l. II, p. 46, § 22, p. 61 „cum multa a Polybio“ q. s., p. 64 „Ex aliis scriptoribus“ q. s., p. 65. Tria autem alia genera statui possunt earum rerum, quae, cum et a Liuio et a Polybio narrentur, sub quaestionem nostram cadunt; atque primum quidem complectitur eas res Romae aut in Italia gestas, quae, cum non pertinerent ad leges datas, ad comitia habita, ad lites et orationes in senatu actas, sed ad condiciones, quae intercedebant inter Romanos et alias gentes, imprimis Graecam et Macedonicam, habebant suum iustum locum non solum in Liui, sed etiam in Polybi historiis; secundum genus exsistit earum rerum Romanarum, quae non Romae, sed in Graecia cum Graecis aut in Asia cum Antiocho siue cum Gallograecis gestae sunt; tertium earum rerum, quae prorsus non sunt Romanae, sed Graecae aut Asiaticae, quas Liuius tenax consili sui, cf. XXXIII, 20, 13; XXXV, 40, 1; XXXVIIII, 48, 6; XXXXI, 25, 8, raro quidem et breuiter tantum, sed tamen nonnunquam

narrat, quia „Romanis cohaerent rebus". Qui tres ordines ut re per se spectata non praue statuti esse uidentur, ita paene a Liuio ipso, l. XXXIII, 10, 10, inter se seiuncti sunt: qui quamuis eo loco duos tantum ordines statuat, primum nostrum atque secundum, tertium sponte accedere statim intellegitur, si inspectis Liui et Polybi operibus ratio habetur earum rerum Graecarum narratarum ab utroque, quae, cum Romani non interfuerint, uoce Liuiana „Romanarum rerum" non possunt esse comprehensae. Notum est, Liuium in historia rerum Romanarum in Graecia gestarum, quemadmodum ipse l. l. faciendum esse significat, Polybium accuratius etiam sequi, quam in iis, quae non sunt gestae in Graecia, cf. Lachmann, II, p. 10, §. 6 et p. 51—52. Cuius rei si quaerimus causam illiusque causae rationem habemus in soluenda quaestione nostra quo modo Liuius opere Polybiano usus sit in iis rebus narrandis, quae ad Graecos tantum pertineant, peruenturos nos esse ad eandem sententiam confidimus, ad quam peruenimus ipsis libris XXXI.—XXXXV. comparatis cum iis particulis operis Polybiani, quae respondent. Causa enim illius rei nulla alia esse potest, nisi haec, quod Liuius Polybium, hominem Graecum, in rebus Graecis meliores etiam fontes habuisse et maiorem etiam fidem mereri, ut qui fuisset testis ipse rerum gestarum, cf. Polyb. IIII, 2, 2, putauit, quam in aliis rebus Romanis; quam ob rem cum per se intellegatur, Liuium Polybio in ipsis rebus Graecis, quae ad Romanos non pertineant, non minus confidere debere tamquam fonti optimo, quam in rebus Romanis in Graecia gestis, sequitur, ut in iis rebus, quas secundo et tertio ordine supra complexi sumus, Polybio maiorem etiam fidem tribuisse putandus sit, quam in rebus primi generis. Iam a Lachmanno, II, p. 47 ima, p. 64 ima et ubicunque praeterea occasio data erat, e. g. ad XXXVIII, 50 q. s., et ab aliis obseruatum est, Liuium in rebus Romae gestis Polybium non ita accurate sequi, quam in ceteris rebus; et rectissime quidem: at nec satis angustis finibus hoc ipsum circumscriptum est nec quaesitum, quantum intercedat inter rationem eam, qua Liuius historia Polybi in his rebus utatur, et

illam, qua utatur in ceteris. Prodit autem ex comparatione Polybi Liuique cum in illis partibus tum in his instituta — quam accuratius infra exhibebimus, — Liuium Polybi historiis in narrandis rebus Romae aut in Italia gestis ita uti, ut, etsi raro, tamen interdum aliquid narret, quod oppositum est ei, quod Polybius narrat, itaque dissentire a Polybi narratione raro non dubitet maiorem fidem tribuens alii fonti, e. g. cf. κδ', 1—4.[1]) cum XXXVIIII, 46—48, praeterea ut addendo aliquid ex alio fonte, quod non habet Polybius, praetermittendoue aliquid, quod habeat, illius historiam paullulum immutet, exempla u. infra, — atque his quidem locis quaecunque Liuius habet, quae non exstent in Polybio, sumpsit ex fontibus Romanis —, contra in rebus Romanis in Graecia gestis Liuium Polybio ita uti, ut nunquam quidem quidquam narret, quod dissentiat a Polybio[2]), uolgo uero aut certe persaepe minutias quasdam ex alio fonte adiciat iis rebus, quas Polybius narrauit, — atque ea quoque, quae his locis addit Liuius, ex Romanis[3]) fontibus sumpsit. Quae cum ita sint, Liuius cum in rebus Romanis non gestis in Graecia ita fontibus Romanis utatur, ut eorum ope adiutus et fretus eorum auctoritate nonnunquam aliquid narret, quod contradicat Polybio, in rebus uero Romanis in Graecia gestis ita, ut nunquam quidem dissentiat, sed ut Polybi historiam ea tantum re aliquo modo immutet, quod minutias quasdam adicit: concludendum est, eum in rebus Graecis ipsis ne illam quidem auctoritatem fontibus Romanis tribuere, quae ex iis addi aliquid uerbis Poly-

1) Vbicunque componendi mihi erunt loci Liuiani et Polybiani, breuitatis causa illos numero libri Romane, hos numero libri Graece expresso significabo.

2) Paucissimis enim illis locis, quibus hoc accidit, uerba, quae dissentiunt, ob alias causas ualde suspecta sunt et facillima emendatione dissensio remoueri potest et debet, exempla u. infra.

3) non ex Romanis et aliis praeter Polybium Graecis, propterea quod praeter Polybium in his libris fontibus Graecis prorsus non usus est, ut infra demonstrabimus.

bianis patiatur, sed eos prorsus nulla ratione cum Polybio et iuxta Polybium comparandos esse iudicasse. Namque ex nulla alia causa fontibus Romanis et Polybio eum ita usum esse, ut diximus, elucet, nisi quod in rebus Romanis, quae non pertinebant ad Graecos, illis etiam contra Polybium quandam auctoritatem tribuendam esse putauit, in iis uero rebus Romanis, quae pertinebant ad Graecos, non contra quidem, sed iuxta Polybium fidem quandam habendam esse: in illis enim rebus auctores Romani ex eorum, qui iis rebus, quas narrabant, interfuerant, aut ipsis scriptis aut eorum posteris, qui illis scriptis usi erant, hauserunt, Polybius, etsi hoc non pari modo utpote uir Graecus Liuio fecisse uidebatur, tamen suam fidem meruit, propterea quod se esse scriptorem uerissimum et fidissimum Liuio ipsi persuaserat; in rebus alterius generis et auctores Romani et Polybius sua acceperant ex testibus, ut ita dicam, oculatis, Polybius uero ob eam ipsam rem fontibus Romanis multo erat praeferendus, quia uniuersim maior fides ipsi habenda erat et quia non uno solum fontium genere, scilicet Romanis, usus erat, sed et Romanis et Graecis fontibus [1]. At quam auctoritatem fontes Romanos habere credere potuit Liuius in iis rebus, de quibus nunc quaerimus, in rebus Graecis, quae ad Romanos non pertinebant: quam auctoritatem comparati cum Polybio? Nullam, ni fallor, prorsus nullam. Liuius enim cum in iis rebus, quibus ipsi (aut eorum auctores) intererant testes, ut ita dicam, oculati, Polybius talis non intererat, Polybio eos uix praeferendos esse iudicarit, num in iis rebus, in quibus Polybius erat testis oculatus, illi non erant, aliquid melius quam Polybius tradere ei uideri poterant? Quod cum negandum sit, nostro iure contendere possumus, in rebus Graecis, quae ad Romanos non pertinebant, tantum abesse

1) Non ignoramus equidem, fieri potuisse, ut etiam auctores Romani, quibus Liuius utebatur ex fontibus Graecis aliqua haurirent: at haec est res, quae in Valerium Antiatem ceterosque Liui illa tempora narrantis fontes non cadit, et, si caderet, artissimis finibus circumscripta esset, ita ut non esset digna, cuius haberetur ratio.

debere, ut Liuius Romanos fontes Polybio praeferendos iudicarit, ut eos ne adhibere quidem, cum habeat Polybium, operae pretium arbitratus sit. Quod cum sit certissimum, illud quoque, Liuium *in his rebus Graecis nullis prorsus fontibus praeter Polybium* usum esse, elucebit, simulatque probarimus eum *Graecis fontibus* praeter Polybium usum non esse. Atque hoc quidem nunc demonstrare conabimur.

Primum si eos Liui locos inspicimus, qui de hac quaestione uerbis disertis ipsi aliquid tradunt, prodire uidetur, non solum ex iis nullam causam peti posse, quae fontes Graecos Liuio in his decadibus praeter Polybium fuisse euincat, ut plerique putant, cf. Lachmann, l. s., p. 28, Hertz, l. s., p. 22, Weissenborn, l. s., p. 31 q. s., sed etiam uno certe loco Liui, XXXXV, 44, tantum non ipsis uerbis significatum esse, Liuium praeter Polybium solos adhibuisse fontes Romanos in his, de quibus disputamus, temporibus enarrandis. Tres quidem exstant loci, quibus Liuius „auctores" siue „scriptores Graecos" commemorat, ex quibus unus pertinet in decadem tertiam, XXVIIII, 27, 13, duo in nostram historiarum partem, XXXII, 6, 8 et XXXVIIII, 50, 10; atque horum quidem locorum uerba sunt haece: XXXII, 6 „ceteri" (nominauerat modo Valerium Antiatem) „Graeci Latinique auctores, quorum quidem ego legi annales, nihil memorabile a Villio actum, q. s., tradunt," XXXVIIII, 50 „ab scriptoribus [1]) rerum Graecis Latinisque tantum huic uiro tribuitur, ut a quibusdam eorum uelut ad insignem notam huius anni memoriae mandatum sit, tres claros imperatores eo anno decessisse, Philopoemenem, Hannibalem, P. Scipionem;" XXXVIIII, 27 haec legimus: „Prosperam nauigationem sine terrore ac tumultu fuisse permultis Graecis Latinisque auctoribus [2]) credidi; Coelius q. s." Quibus locis uerba „scriptores" siue „auctores Graecos" ita interpretari solebant, qui de hac re scripserunt, ut dicerent, hos esse Grae-

1) u. Pol. XXIIII, 9 q. s.

2) De hac re et de ea, quam dicit Liuius XXXII, 6, 8, reliquiae historiae Polybianae non exstant.

eos homines, qui illas historias conscripsissent; quae explicandi ratio primo quidem aspectu habet, quo se commendet, sed tamen, si quis accurate uerba inspexerit, falsa esse arguetur: quapropter nos, ut statim quod sentimus dicamus, „Graecos“ adiectiuom ad solam linguam, qua illi auctores scripserunt, non ad gentem, e qua erant, referimus. Namque „Graecos“ uerbo, si ad gentem referretur a Liuio, non ad linguam, simplicitèr et unice recte opponenda non esset „Latinos“, sed „Romanos“ uox, propterea quod, ut notum est, Latina appellari solet lingua, Romana uero gens; accedit, quod, si illud adiectiuom referremus ad gentem, prorsus [1]) non haberemus ordinem, quo comprehensos esse eos auctores Romanos, qui Graece scripsissent, putare possemus. Hoc enim unusquisque intellegit, Fabium Pictorem aliosque auctores Romanos, qui Graece scripserant, non fuisse appellandos auctores *Latinos*; eos uero cum constet uno imprimis loco, XXXII, 6, et ipsos a Liuio esse cogitatos, quippe quorum annales ab eo perlectos esse constet, cf. Lachmann, l. s. § 7, 8, (14,) 16, non possumus non putare uoce, quae est „Graecos“, illos esse intellectos. Ita cum euicerimus, illa uoce non ntellegendos esse „quotquot Graeci sunt“, non solum nihil obstat, quominus interpretemur „quotquot Graece scripserunt“, sed ne datur quidem, ut dicunt, tertium.

Restat, ut, quoniam loco ita explicato tamen posse esse inter auctores Graecos etiam uiros Graecos per se non est negandum, moneamus, quantum attineat ad numerum pluralem *auctores Graecos*, non opus esse ob eum niros Graecos iuxta Latinos intellegere, simulque exponamus, quosnam uiros uoce illa, quae est Graeci auctores, intellegendos esse putemus: XXVIIII, 27 igitur „Graeci auctores“ (nam „permultis“ uox non necesse est pertineat ad solos auctores Graecos, sed pertinet ad Graecos una cum Latinis) significati uidentur Polybius, Silenus, Fabius Pictor, Cincius Alimentus, Rutilius Rufus, libri Aciliani, cf. Lachm., l. s., §. 5—8, §. 14, §. 16, §. 17 et, si

1) Maxime hoc pertinet ad primum locum.

forte qui alii auctores a Liuio adhibiti Graece scripserant, XXXII, 6 uero et XXXVIIII, 50 iidem exceptis illis, qui de his temporibus non iam scripsisse uidentur, Fabio Pictore, cf. Lachm. p. 15, Lincio Alimento, cf. ib. p. 16., Sileno, u. p. 32. Ita postquam demonstrauimus nec uerbis „scriptoribus Graecis, Graeci auctores, Graecis auctoribus“ eos scriptores a Liuio esse significatos, qui essent Graeca origine, nec omnino opus esse illa uoce comprehendi quosdam uiros Graecos, nunc latius progredimur dicentes locis XXXII, 6 et XXXVIIII, 50 inter scriptores Graecos praeter Polybium ne posse quidem intellectos esse ullos uiros Graecos similiterque XXVIIII, 27, de quo quidem loco proprie hic nobis agendum non est, nullos praeter Polybium et Silenum intellectos esse posse. Quae res cum ob uaria argumenta non solum ueri similis, sed certissima fiat, initium facimus argumentationis ab eo loco, quem supra diximus commendare hanc sententiam. XXXXV, 44 enim Liuius, ubi narrat de Prusia rege Romae uersato, in fine huius historiolae addit: „haec de Prusia nostri scriptores. Polybius eum regem indignum maiestate nominis tanti tradit q. s“. Quid multa? Nonne luce clarius apparet Liuium hoc loco distinguere duo fontium suorum genera, prius scriptorum Romanorum — qui utrum Graece scripserint an Latine nihil refert — alterum solum Polybium? Liuius enim si praeter duos illos ordines aliis quoque fontibus usus esset, scilicet historiis, quae ab aliis uiris Graecis conscriptae fuerant, hic commemorare coactus erat, ubi tam distincte sibi opponit Polybium et fontes Romanos. Quid enim? si fontes illi Graeci, quos adhiberi a Liuio putant uu. dd., consentiebant ea in re cum Romanis, Liuius non potuit non dicere: „haec de Prusia *ceteri*“ (et Graeci et Romani) „scriptores. Polybius“ q. s.; sin consentiebant illi fontes cum Polybio, scribere debuit: „haec de Prusia nostri scriptores. Polybius *ceterique graeci*“ q. s. aut, ut esset quam maxime expressa oppositio illa, scripsisset: „haec de Prusia *nostri scriptores. Graeci*“ q. s. Ita quamuis iam ex eo loco satis manifeste prodire uideatur, praeter Polybium

Liuio fontes Graecos non fuisse ad manum, adiciemus alias causas, quae hoc euincant. Primum enim tantum abest, ut Graecos illos fontes aliquo loco nominatim appellarit Liuius, ut ne ulla quidem uoce iustam suspicionem nobis moueat, praeter Polybium fontes Graecos sibi auxilio fuisse. Accedit argumentum multo grauius hoc, quod re per se spectata est ueri dissimillimum, Liuium praeter Polybium auctoribus Graecis usum esse: namque Liuius certe fontibus Graecis perlegendis perscrutandisque operam non dedit, nisi erant grauissima auctoritate et fide maiore, quam Romani; huius enim rei causa ne nunc quidem a nobis excogitari posset, nedum talis usus necessitas perspici potuisset ab hominibus illorum temporum, quibus non eodem modo, quo nostra aetate, in opere quolibet componendo omnes, qui de eadem materia scriptores non mali exstabant, in auxilium uocandi et perlegendi uidebantur seu illi scripserant Latina lingua seu aliena, sed quibus scriptores erant contenti certo quodam, qui sufficere uideretur, fontium numero non curantes relicua scripta: praeterea Liuius, ut Lachmannus quoque, l. s. I, p. 31, annot. 2. occasione a Lincio oblata recte monet, ob solam linguae Graecae scientiam mancam et ob superbiam quandam cuique uiro Romano natura insitam non putauit ex Graecis sibi esse hauriendum in narrandis rebus Romanis, nisi permultum causae esset, quod illos praeferendos esse auctoribus Romanis suaderet. Atque has quidem ob res scriptores historicos Graecos non satis excellentes fide, auctoritate, indole non attigit. Eas uero Graecorum uirorum historias, quae re uera erant magna fide, magna auctoritate et praeclara indole commendabiles, qualis e. g. est Polybi, a Liuio hic non esse adhibitos primum ex eo prodit, quod illos, si quos omnino fontes nominabat, certissime nominare debebat [1]), nisi erat scriptor expers iudici ac ueritatis, deinde ex eo, quod scriptores Graeci, dico scriptores e gente Graeca, historiae illorum temporum, qui quidem aliquo nomine essent, prorsus non exstitisse putandi sunt;

1) Vt re uera Polybium compluribus locis nominat.

esset enim quam maxime mirum, si illorum scriptorum ne nomina quidem ad nos peruenissent; namque prorsus ex ea ratione, qua de ueterum litteris artibusque certiores facti sumus prodit nos, si eius generis scriptores Graeci exstitissent, quibus Liuius uti posset, fuisse accepturos si nihil aliud, at nomina certe ipsorum et operum. Habemus quidem re uera duo nomina, quae quis huc trahere possit, sed ne ea quidem quadrant: Silenum dico et scriptorem quendam, qui a Plutarcho, uit. Paull. Aemil. c. 19 nominatur, Posidonium. Silenum uero opus, quod scripsit, ultra bellum Hannibalicum continuasse si quis coniceret, esset coniectura audacissima, quae refelleretur Corn. Nep. Hannib. c. 13; ex hoc enim loco prodit, eum historiam non ultra bellum Hannibalicum conscripsisse, nam si ulterius perrexisset, Cornelius eius rei mentionem certe simul fecisset. Posidonius uero [1]), quem Plutarchus l. s. περὶ Περσέως ἐν πλείοσι βίβλοις scripsisse refert, in particulam tantum eius historiae, de qua dicimus, caderet, sed ne in illa quidem a Liuio adhibitus [2]) est; nam primum Posidonii opus, quod non magna auctoritate excelluisse uidetur, si iam Liui tempore in Romanorum manus peruenisset, certe unum alterumque sui uestigium in Romanorum scriptis, quae restant, reliquisset praeter locum Plutarchi, deinde prorsus non mos erat Liui, quantum quidem eum nouimus, tales historias singulares, quae ad paruom tantum pertinebant temporis spatium, pro fontibus adhibere in libris suis componendis. Nulli ergo fuisse sunt putandi Graeci praeter Polybium, quorum operibus Liuius in

1) Qui Posidonius non erat P. Rhodius, ut Voss. de hist. Graec. ed. Westermann, p. 199 coniecit, uixit enim Plutarcho, l. s., teste Persei temporibus, Rhodius uero, cf. Suid. s. u., Strab. XI, p. 492 et XVI, p. 753, Pompei temporibus. Quam ob rem fortasse cum Bakio, Posid. Rhod. doctr. reliq., LB, 1810 p. 254, et cum Westermanno, l. s., annot. 2. conicias eum fuisse Posidonium Olbiopolitam, qui etiam alia opera historica conscripsit, cf. ibid., p. 200.

2) Niebuhrius, Vortr. her. v. Isler, I, p. 49 loquitur de alio Posidonio, u. Voss. l. s.

scribendis libris XXXI.—XXXXV. uti potuerit; quam ob rem non iam hariolandum est *de Liui fontibus Graecis compluribus.*

Quibus rebus prolatis paucis uerbis ea comprehendamus, quae argumentis illis probauimus: diximus etenim supra, uideri quaesituris nobis, quomodo Liuius usus sit opere Polybi in narrandis iis rebus, quae ad solos Graecos pertineant, re per se considerata idem intellectum iri, quod comparatis Liui libris XXXI.—XXXXV. cum Polybianarum historiarum reliquiis, quae respondent, appareat rectum esse, scilicet hoc: Liuium Polybio in his rebus Graecis narrandis usum esse solo fonte. Atque re uera uidimus, cum supra demonstrarimus Liuium fontibus Romanis in his rebus uti non potuisse et cum nunc accesserit, quod eum Graecis fontibus praeter Polybium usum non esse probauimus, iam sequi, ut Liuium in his rebus Polybio solo usum esse unusquisque intellegat [1]).

At nimia opera nimiisque ambagibus me uti obiciat aliquis demonstraturum id, quod, si re uera se ita habet, facillime perspici possit ex comparatione ipsa librorum Liui et Polybi et quod num se ita habeat annon ne referat quidem; ad quas duas res una respondeo expositione. Magnam uim illi quaestioni esse imprimis ad uerba Liui Polybique in his historiis emendanda elucet ex eo, quod, si rem se ita habere euictum erit, licebit nobis paruolas quasdam res, quas ceteroquin diiudicare non possimus, hoc argumento nixi diiudicare. Exstant enim in uerbis earum, de quibus dicimus, historiae Liuianae particularum additamenta paruola, quae in Polybianae historiae reliquiis, quae respondent, non exstant; quae cum ceteroquin iure dubitaremus soli Liui cupidini exornandi et expingendi tribuere atque ex certo quodam fonte originem ducere negare, nunc secure soli illi Liui consuetudini attribuere possumus [2]), qua re id lucramur, ut Liui ingenium et fontibus utendi mos aliquanto nobis fiant manifestiora. Sed accedit alterum, quod multo grauius est: in illis enim histo-

1) Non obstat Liu. XXXX, 55, 7, de quo loco u. pag. 22.

2) Exempla huius rei infra occasionibus sponte oblatis legentur plurima.

riarum partibus cum paruolae quaedam discrepantiae inter uerba Liui et Polybi nonnunquam appareant, quas rebus aliter se habentibus librariorum incuriae dare culpae nobis non liceret utpote ratis alterius scriptoris uerba esse ex altero emendanda, nunc, ubi Liuium Polybio solo fonte in his rebus usum esse demonstrauimus, nostro iure dicere possumus illis locis corrupta esse alterius utrius uerba et emendanda ex altero, praesertim cum omnes illae discrepantiae facillime possint emendationibus remoueri. Mirum enim profecto esset, si in tanta et Polybi et Liui librorum corruptione nullae eius modi exstarent corruptelae, quae eum consensum, qui exstat inter utrumque scriptorem, turbarent, nam corruptelae exstare solent generum maxime uariorum; ita cum iam per se illud sit exspectandum, forte fortuna plurimis locis, quibus mutandum est, accedere solet secunda quoque et tertia causa, quae mutare iubeat, ita ut uolgo ob alia quoque argumenta de corruptela dubitari non possit. Quibus locis cum totius rei fides sit confirmata, latius progrediendum est et, etiam si quando non accedit alia causa, ibi quoque, ubi nihil nisi consensus inter Liuium et Polybium turbatus est idemque facili mutatione restitui potest — quod quidem semper fiet —, emendandum esse iam apparet. Diximus nunc, ne hoc obliuiscaris, de iis tantum particulis historiarum, quae exhibent res Graecas inter Graecos gestas, quibus non intererant Romani, propterea quod his solis locis Liuius Polybio solo uidetur usus esse.

Huic uero ordini nunc licet alterum illum, u. pag. 6, 8, annectere, qui comprehendit res Graecas cum Romanis gestas. Liuius enim cum, ut supra diximus, in his historiarum partibus ita usus esse uideatur Polybio, ut eum solum quidem fontem non adhibeat, sed tamen, ubicunque discrepantia inter Polybium et fontes Romanos exstat, uolgo praeferat Polybium — nam ii loci, quibus hoc non accidit, sunt rarissimi et nullius fere auctoritatis — et illis fontibus uti soleat dumtaxat ad res, quas ex Polybio recepit, exornandas et ad-

ditamentis quibusdam expingendas, non dubium est, quin etiam in his partibus historiae multae discrepantiae, quae nunc exstant inter Polybi contextum, quem dicimus, et Liui, sola culpia librariorum sint illatae itaque emendationibus tollendae (huius quoque rei exempla infra apparebunt).

Accedit enim, quod haudquaquam praetermittendum est, quod Polybi uerba in librorum XVI.—XXX. reliquiis non in ea condicione nobis seruatae sunt, qua in libris I.—V., sed in multo peiore. Illorum enim librorum fragmenta cum nobis partim seruata sint in posteriorum scriptorum operibus, imprimis Strabonis, Josephi, Plutarchi, Athenaei, Steph. Byzanti, Suidae, pro plurima uero parte in operibus excerptorum, quae Constantinus Porphyrogenetus facienda curauit, aut in excerptis, quae dicuntur „antiqua“, edita ab Heruagio, non tantum uolgaribus scatent uitiis, quibus omnia ueterum scripta deformata sunt[1]), sed etiam aliis mendis, quae librarii admiserunt nec inscii nec inuiti, sed quae ex consilio in textum intulerunt et qui citabant et qui excerpebant.

Namque ut de illis primum fragmentis dicamus, quae seruata sunt in scriptis auctorum posteriorum, qui hic illic Polybi uerba attulerunt, uix opus uidetur esse monere perpaucos ex ueterum numero in afferendis aliorum scriptorum locis id egisse, ut ad uerbum accurate redderent locos; ex qua re elucet in fragmentis Polybi apud posteriores scriptores exstantibus aliquas uoces seu sententiarum partes saepissime, ne dicam semper fere, non solum paullulum immutatas esse, sed etiam interdum prorsus omissas, cf. e. g. Polyb. XXVI, 10 in Athen. p. 439 A et 193 D, praeterea cf. Polyb. XXII, 10 et

1) Atque uolgaribus quidem uitiis ualde scatere, hoc de parte eorum, scilicet de excerptis περὶ πρεσβειῶν iam ab aliis monitum est, u. Schweighäuser, edit. Polyb. t. I, praef. p. 18 q. s., t. II, praef. p. 16 q. s. Vt exemplum afferamus, in Polybi libri XXI. undecim fere capitibus, quae sunt superstita in excerptis περὶ πρεσβειῶν, septem locos lacunosos deprehendimus, quos partim alii inuestigarunt, scilicet c. 8, §. 10; c. 10, §. 11—12; c. 14, §. 1 et §. 3, partim nos detegere infra tentabimus, scilicet c. 8, §. 1, §. 12 et c. 14, §. 10.

11 in Heron. Poliorc., ed. Paris. 1694, p. 324 q. s.[1]) cum fragmento e Polybi libro XXI.[2]) ed. Car. Mueller, Paris. 1847 in Iosephi oper. rec. G. Dindorf, uol. II, in fine, p. 16—18. Quod si ab his transimus ad excerpta Constantini, uidemus rem se habere si non peius, tamen certe non melius. Vt enim per se non est res mira, si excerptores in excerptis scribendis, quamquam in uniuersum Polybi uerba ipsa reddebant, operam saepe dabant contrahendo breuius uerba Polybi, ita ea sententia certis argumentis, quae petenda sunt ex uerbis ipsis inspectis, ita confirmatur, ut de ea dubitari prorsus non possit. Cuius rei primum testimonium sumimus ex libro XXIII, ubi ex cap. 4 Bekkeri (Vrsin. ed. p. 88) apparet, excerpta saepe non facta esse ad uerbum, sed ita tantum, ut res primariae ex Polybi historia promerentur missis iis, quae erant minoris momenti; illic enim cum quaedam excerpta ipsa, quae facienda erant, nobis non supersint, sed restent tantum tituli excerptorum, quae librarius facere iussus erat, legimus Bekk. p. 955, u. 33 librarium iussum esse quaedam excerpere κεφαλαιωδῶς (itaque non accurate ad uerbum): qua ex re concludere possumus, hoc ipsum saepius factum esse in iis quoque excerptis, quae nobis nunc supersunt, nec solum in exc. de legat., ex quibus illud exemplum sumptum est, sed in aliis quoque, quia omnia excerpta ut pari modo fierent curasse putandus est Constantinus.

Accedit alterum illius rei testimonium sumptum ex contextu, quem dicimus, excerptorum ipso considerato; quem si comparamus cum V librorum integrorum contextu, qualis exhibetur in ipsarum historiarum Polybi codicibus, intellegimus hac quoque ratione, Polybium saepe scripsisse multo largius, quam nos legamus in excerptis. Videmus enim non tantum singula uerba in illis excerptis mutari sententiasque singulas breuiter comprehendi solitas esse, deinde prima enuntiata, quae

1) Ex quo Bekkerus in edit. Polyb. attulit.

2) Perperam a Muellero secundum codicis scripturam libro XXI. tribuitur.

dicimus, singularum eclogarum nonnunquam non eadem exstare in Polybi historiis, sed comprehendere breuiter ea, quae in illis antecesserint, itemque exitus singularum eclogarum nonnunquam breuiter comprehensos esse ex iis, quae in Polybio secuta sint; uerum etiam totas sententias in mediis eclogis esse omissas et singularum sententiarum ordinem inter se interdum esse mutatum [1]). Cum excerpta περὶ πρεσβειῶν (Vrsiniana), περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας (Valesiana), περὶ ἐπιβουλῶν (Federiana) non possint uocari in comparationem, propterea quod ex primis V libris Polybi nulla eorum generum nobis nota sunt, sola excerpta περὶ γνωμῶν (Maiana) comparare poterimus: uera igitur esse, quae de excerptorum illorum natura et condicione protulimus, uidebit, quicunque conferet e. g. excerpt. gnomic. ed. Heysian., p. 1, u. 29 q. s. cum Pol. I, 3, 3 (ubi quidem Polybi codices praeterea quoque corrupti sunt); p. 6, u. 15 q. s. cum P. I, 36, cuius § 1 omissa est; p. 7, u. 24 q. s. cum P. I, 81, 4; p. 8, u. 15 q. s. cum P. I, 83; p. 8, u. 20 q. s. cum P. I, 86; p. 12, u. 29 q. s. cum P. III, 12; p. 53, u. 28 q. s. cum P. IIII, 30; p. 21, u. 21 q. s. cum P. IIII, 33; p. 22, u. 5 q. s. cum P. IIII, 60; p. 23, u. 1 q. s. cum P. V, 75; ibid. u. 10 q. s. cum P. V, 88, 3—4. Quin etiam additamenta uerborum fecerunt excerptores non curantes sinceritatem et integritatem uerborum Polybianorum, sed connexum in se absolutum historiolae eius spectantes, quam excerpendo reddebant, cf. e. g. (praeter locos iam allatos) exc. Heys. p. 1, u. 18 εἰρήσεται δὲ, quod non exstat in Pol. I, 2, 8; p. 21, u. 32 cum P. IIII, 35, 8, ubi non exstant uerba ὥσπερ οἱ Λακεδαιμόνιοι; denique eclogis finem nonnunquam imposuerunt in mediis sententiis, cf. e. g. ibid. p. 5, u. 24 cum Pol. I, 15 [2]). Praeter haec

1) Nimis breuiter pro nostra quaestione totam hanc rem tetigerunt non solum a Leutsch in Gött. Gel. Anz. 1855, p. 259 q. s., sed etiam Hultschius, Quaest. Polyb. p. 10, de quo u. infra.

2) Quo quidem loco uerba, quae secuntur, idem uolunt, quod significat simile additamentum p. 6, u. 22.

exempla uide Hultsch. l. a., p. 10 cum annot. 23; ceterum quam temere uniuersim egerint excerptores in scribendo, perspici potest ex talibus additamentis, quale est e. g. ibid. p. 10, u. 13, cf. Pol. III, 4 ex. et 5 in. De excerptis Valesianis rem se item habere unum saltem testimonium promi potest ex comparatione eius excerpti, quod Bekk. posuit in libro XXIIII, c. 9, p. 977, u. 26, quod est Valesianum, cum eo Maiano instituta, quod idem posuit libro XXIIII, c. 8b, u. 14 q. s., Heys. p. 65, u. 24 quae duo exerpta quamquam ex iisdem Polybi uerbis hausta esse nemo negabit, tamen uoces eorum singulae non consentiunt, sed in Valesiano uerba Polybi uel maxime sunt contracta et breuiter comprehensa[1]). Quibus uerbis de excerptis Constantini factis restat, ut dicamus, si quae addenda habeamus de epitome Polybi, quae exstat in codice Vrbinate et „excerptorum antiquorum" nomine diu significabatur, de quibus uide Schweigh. ed. Pol. t. I. p. XXXXVIII et Hultsch, l. a., p. 2, annot. 6: de his uero nec prorsus certum iudicium proferre possumus nec quod hoc se ita habet dolemus, propterea quod ex eorum numero paucissima tantum in nostram quaestionem pertinebunt, cum finem habeant iam in libro Polybi XVIII., nostra quaestio initium demum capiat a libro XVI.; ceterum eam epitomen magis ad uerbum cum Polybi historiarum contextu, quem dicimus, consentire, quam excerpta Constantini, colligimus ex Hultschii, l. a, p. 10, de ea re silentio.

Quibus argumentis cum id effectum sit, ut intellegamus reliquias librorum Polybi XVI.—XXX., imprimis excerpta Constantini plurimis locis non referre integra Polybi uerba et cum ex aliis causis, quas supra attulimus, prodeat, Liuium Polybio in his historiarum particulis, quae pertineant ad solos Graecos, non ad Romanos, solo fonte uti, in iis uero, quae

1) Similium discrepantiarum et totius, de qua dicimus, rei exempla alia plurima perspici possunt, si quis librum excerptorum περὶ ἐπιβουλῶν, quem Federus edidit, Darmstadi 1848—55, euoluens earum sententiarum rationem habet, quae in uno excerpto omissae, in altero positae sunt, cf. Feder., p. 1, annot. 1.

pertineant ad utrosque, fonte longe principe: nihil iam obstabit, quominus paruolas discrepantias, quae exstant inter Polybi et Liui uerba, sed quae sunt eiusmodi, ut si reuera inter sincera Polybi et Liui uerba exstitissent, Liuium a Polybio recessisse probarent, emendando remoueamus praesertim tum, cum aliae caussae mutandi accedent, sed nonnunquam ibi quoque, ubi ea condicio non apparebit; atque maxima certe pars illarum mutationum erit talis, ut uerbis Polybianis, qualia nobis tradita sunt, aliquid addatur ex Liuio, quod ille, quia ex ipso Polybio sumpsit, non haberet, nisi prisco tempore in Polybi manuscriptis exstitisset. Ceterum licet in Polybio necessitas emendandi, ut ex iis, quae antecedunt, prodit, multo saepius apparere debeat, tamen interdum in Liuio quoque, quippe cuius libris non desint plurima menda, mutationes esse adhibendas facile intellegitur; exempla utriusque rei infra sponte apparebunt.

Verum enim uero ne si qua res praeterea sententiae nostrae de Liuiano usu Polybi aut commendationi aut impedimento esse uideatur, silentio sit praetermissa, paucis uerbis hic tangendi esse uidentur ii loci (cf. p. 5—6), quibus in libris XXXI.—XXXXV. Liuius, cum de fontibus suis loquatur et iudicium faciat, Polybi nomen ipsum quidem non appellet — nam de iis locis, quibus ipsum nominat, supra diximus —, sed tamen uoce illa generaliore, qua utitur, Polybium et ipsum comprehendere uidetur; mittimus nimirum omnes eos locos, quibus praeterea de fontibus suis loquitur Liuius.

Liu. XXXII, 6, 5—8 Valerio Antiati opponitur ceterorum Graecorum Latinorumque auctorum, inter quos procul dubio Polybius numerandus est, narratio eaque sine dubio a Liuio probatur. Liu. XXXVII, 34, 5—6, cum de Scipionis fili captiuitate discesserint inter se auctores, nominat „aliorum —“, „aliorum —“ sententiam. Inter priores est Polybius, cf. Pol. XXI, 12, 3, Lachmann., II, 56; utrorum sententiam rectam esse putet, non dicit Liuius. — Liu. XXXVIIII, 50, 10 in scriptorum rerum Graecorum Latinorumque numero, quos dicit

memoriae mandasse Philopoemenem, Hannibalem et Scipionem anno 571 a. u. c. decessisse, Polybius quoque fuit, ut apparet. manifesto ex fragmentis Polybi l. XXIIII positis a Bekkero „c 8b—9a" eodemque ordine in excerptorum codice traditis et praesertim ex ultimis uerbis capitis 9a: ταῦτα μὲν οὖν κ. τ. λ., quae Polybius scribere non potuisset, nisi de trium illorum ducum mortibus eodem tempore narratis uerba fecisset. Errasse igitur putandus est Corn. Nep., Hannib. 13, qui dicit teste Polybio Hannibalem anno 572 mortuum esse, et Liuius fidem tribuit Polybio referenti de Hannibalis morte; quae c. 52, §. 1 dicit de Scipionis morte, de his u. supra, p. 5. — Liu. XXXX, 55, 7: ex hoc loco colligendum esset, Polybium esse aliquem ex alterutro genere „aliorum" illorum, nisi esset ueri simillimum iam Polybium ita narrasse „rem non certam esse, quia alii hoc, alii illud traderent" in eoque Liuium secutum esse Polybium; nam ex iis, quae pag. 10 q. s. probauimus, predit, Liuium hic usum esse Polybio solo fonte. — Liu. XXXXII, 11, 1: inter „plures et quibus credidisse malis" (quam Valerio Antiati) non est dubium quin fuerit Polybius. — Liu. XXXXIIII, 15, 3: inter „alios", qui Claudio oppositi sunt, Polybius fuit, si omnino — quod satis ueri simile est — in illius legationis Romam missae narratione Polybium fontem adhibuit Liuius. Ceterum eum non Claudio, sed „aliis" illis credere ex eo certum fit, quod in fine eorum, quae illos narrare scribit, ab oratione obliqua, quam dicimus, transit ad directam („acceperunt") itaque illorum sententiam reddit suam. — Liu. XXXXV, 3, 3: inter „quosdam, qui tradidere", est Polybius, u. Pol. XXVIIII, 7, sed num Liuius eam narrationem ueram putarit, dubito ob uerba ipsa „tradidere quidam" et totius narrationis formam obliquam. Quibus locis [1]) affirmatur is mos, quem supra diximus Liuio proprium esse in Po-

1) His locis non addo XXXVIII, 55—57, ubi compluries quidem scriptorum dissensus memoratur, propterea quod Polybius in talibus rebus uix pro fonte esse solebat, u. pag. 6, similitudines, quas quis indagare possit inter c. 55 et κδ', 9a (Bekker) non sunt uerae, sed congruentiae fortuitae.

lybio fonte adhibendo, recte statutus esse, scilicet ita ut uolgo quidem Liuius sequatur Polybium aliis posthabitis — ita enim XXXII, 6, XXXVIIII, 50, XXXXII, 11 (XXXXIIII, 15) —, nonnunquam Polybium et ceteros auctores pariter iudicet neminem alteri praeferens — ita XXXVII, 34 —, rarissime Polybi auctoritatem neglegere sibi licere putet — ita fortasse XXXXV, 3; de XXXVIIII, 52 iam pag. 5 diximus —, et ut iis locis, ubi agitur de historia Graeca, quae non pertinet ad ad Romanos, alios praeter Polybium fontes non adhibeat — cui rei non obstat XXXX, 55 —, nedum ab iis dissentiat.

His locis opponimus eos, quibus Liuius, cum narrationem suam ex Polybio sumpserit — ut intellegitur partim ex Polybi fragmentis, partim concludendum est quoque loco ex totius rei condicione —, praeterea apponit additamentum quoddam seu Valeri siue Claudi siue alius scriptoris Romani. L. XXXIII, 14, 1 cum dicat „ut quidam tradidere“, inter hos non numerari Polybium ex eo apparet, quod totam narrationem ex Polybio sumpserat, ut et per se exspectari potuit in re Graeca narranda et ex cap. 13 comparato cum Pol. ιή, 21—22 prodit, ob eamque rem, si Polybius illud quoque narrasset, non addidisset narrationi: „ut quidam tradidere“; ea igitur uoce intellegit fontes Romanos, quorum sententiam affert quidem neque uero dicit sequendam esse[1]). — Liu. XXXIII, 30 nominat Valerium et Claudium, sed narrat ex Polybio; XXXIIII, 10, 2 (si quidem hic habuit Polybium fontem) Valeri numerus dumtaxat nominatur, non laudatur; item XXXIIII, 41, 8

1) Quod hoc loco, etiamsi narratur res inter Graecos gesta, tangit fontes Romanos, id primo quidem aspectu uideri potest contradicere sententiae nostrae, quam supra probauimus, scilicet Liuium in talibus rebus fontes Romanos prorsus aspernari utentem solo Polybio; sed tamen hoc quoque loco putamus adhibitum esse solum Polybium, nam quod Liuius addit „ut tradidere quidam“ (scilicet Romani), hoc inde comperit, quod in ea narratione, quam persequitur cap. 13, (in qua fontes Romanos non prorsus spreuisse iudicandus est) hoc ipsum „eodem die“ inerat; qua re factum est, ut illi capiti finem imponens hanc rem pusillam reciperet et apte coniungendae triusque rei causa initio capit. 14 adderet „eodem die, ut quidam tradidere“.

„sunt, qui — tradant“, XXXV, 14, 5 „Claudius secutus Graecos Acilianos libros“ nominantur tantum, non laudantur; XXXVI, 19, 12 Valerius per se refutatur eo, quod „Polybio auctore“ se scripsisse dicit Liuius; XXXVII, 48, 1 Valerium scribere rumorem quendam fuisse refert neque uero probat; XXXVII, 60, 4 q. s. non Valerium sequitur, sed alios, inter quos Polybius princeps fuisse iudicandus est; XXXVIII, 23, 8 q. s. nec Claudium nec Valerium sequitur, sed numerum iniri potuisse negat consentiens in ea re, ut ueri simile quidem est cum Polybio; XXXVIII, 41, 12 Claudius non laudatur; XXXVIIII, 56, 7 Valerius aliquid tradere dicitur — num recte tradi putet, non addit Liuius —, quod Polybi narrationi, u. p. 21 q. s. aliquid adicit; XXXXII, 66 Polybium sequitur non credens iis, quos „esse qui — auctores sint“ § 8 addit; XXXXIII, 13, 12 uerbis „si Valerio Antiati credas“ indicat, se ei non credere (sed Polybio); XXXXV, 40, 1 denique tantum abest, ut Valerium Antiatem Polybio anteponat, ut refutet. — Non ignoramus equidem aliis quoque locis librorum XXXI.—XXXXV. Valeri Antiatis aliorumue fontium discrepantias nominari, sed cum ibi non Polybio oppositi esse putandi sint alii illi fontes, silentio eos locos praeterire licet [1]). Ita postquam ad finem [2]) considerandorum eorum locorum, quibus nobis Liuius ipse quasi pronuntiat aliquid de usu suo Polybi aliorumque fontium, uenimus, apparere nobis uidetur tantum abesse ut contradicant sententiae nostrae de condicione, quae intercedit inter Polybium et alios fontes Liui, supra prolatae, ut iustis argumentis confirment. Itaque haec hactemus.

Restat, ut, priusquam ad eam quaestionem accedamus,

1) Ita XXXII, 30, XXXIII, 36, XXXIIII, 48, XXXV, 2, XXXVI, 38, XXXVIII, 50, 55, XXXX, 29, 50, XXXXV, 1, 43, quibus ommibus locis Polybius aut prorsus non aut multo minus quam alii fontes adhibitus est, u. pag. 6.

2) Vix opus esse uidetur monere, tales locos, ut XXXVII, 28, 10 „dicitur“, non significare, fontium discrepantiam a Liuio animaduersam esse.

quomodo in reddendo Polybio, quantum ad uerba ipsa potius, quam ad res pertinet, egerit Liuius, dicamus de ordine, quo res unoquoque anno gestas, quas e Polybio sumpsit, prompserit et in opere suo disposuerit. Quisquis legendo percurrit Liui libros XXXI.—XXXXV. aliqua cum cura, statim uidet, eum Polybio non ita uti solere, ut modo hoc capite modo illo hauriat quaedam ex eo, mox se dediturus alii fonti, immo eum ne ita quidem agere, ut diuersis cuiusque anni temporibus res cum Graecis gestas — eas enim quam maxime reddit ex Polybio — ex eo narret, prout quoque spatio semestri aut trimestri actae sint, sed aliquanto rectiore uia ac ratione progredi. Illa enim dispositio ut re per se spectata esset inepta obstaretque maxime totius historiae perspicuitati, ita ne operam quidem Liui in colligenda historiarum materia atque disponenda minueret. Hoc quidem confitendum est, a Liuio non esse adhibitam simplicissimam et optimam rationem diuersae historiarum materiae apte disponendae, quam e. g. adhibuit Polybius, cf. Pol. II, 71, III, 118 cet., scilicet ut primum enarraret res in Italia gestas, deinde praemissis rebus Gallicis atque Hispaniensibus exponeret res Graecas iisque adiungeret postremo loco, si quae enarrandae erant res Asiaticae uel ad Antiochum uel ad Eumenem pertinentes atque Aegyptiacae; sed tamen similem certe rationem in uniuersum sequitur Liuius. Plurimis enim in libris etsi ita singulorum annorum res disponit, ut earum, quae Romae fiant, partem ponat in fine, partem in initio historiae cuiusque anni itemque referat res Gallicas et Hispanicas modo in initio modo in fine anni, tamen ea, quae ex Polybio sumit, in plerorumque annorum historiis uno tenore exponere et in una serie haud interrupta explicare solet, ita ut unum quasi corpus integrum efficiant. Hoc non intellegendum est ita, tanquam omnes uel minimae res, quas Polybio auctore refert, in illo, ut ita dicam, cuneo reperirentur necessario neque ullo praeterea loco quaedam ex Polybio transscripta apparerent (consentaneum enim est Liuium etiam praeterea aliquibus locis singulas mi-

noris momenti res ex Polybio narrare, quae non pertinebant in illam particulam), sed hoc tenendum est, summam ipsam illarum rerum continuo scribi solere. Si enim XXXIIII annorum historiam, quae narrata est in Liui libris XXXI.—XXXXV. percurrimus, uidemus morem illum ab eo tam constanter esse seruatum, e. g. anni 555 res in l. XXXII, 3—6, anni 556 in XXXII, 9—25, anni 557 in XXXII, 32 — XXXIII, 21 (ut perspicere possumus partim ex fragmentis collatis, partim colligere ex eo, in quorum generum rebus narrandis Polybio uti soleat), ut in sex tantum annorum historiis res ex Polybio fonte sumptas in duabus particulis narret, scilicet anni 554 in XXXI, 14—18 et 22—47, anni 558 in XXXIII, 27—35 et 38—41, anni 561 in XXXIIII, 60—62 et XXXV, 12—19, anni 562 in XXXV, 25—39 et 42—51, anni 563 in XXXVI, 5—35 et 41—45, anni 586 in XXXXIIII, 23—46 et XXXXV, 4—12 [1]).

Cuius consuetudinis Liuianae si quaerimus causam, nulla alia detegi poterit, quam una illa eademque simplicissima, quod Liuius Polybium ducem tam fidum et fontem tam largum putauit, ut se totum ei committere non dubitaret et, ubi primo Polybium uti coepisset in cuiusque anni historia, continuo eum sequeretur, quamdiu per suum historiae scribendae consilium sequi liceret, atque ut tum demum, ubi cum Polybio ad finem earum rerum, quae quoque anno ex eo hauriret, peruenisset, eo relicto ad fontes Romanos rediret, ex quibus draesertim res in Italia gestas narrare solebat [2]). Ita in illorum quoque sex annorum, de quibus modo diximus, historia non casu factum esse uidemus, quod, quamuis redeundum postea esset ad Polybium, hunc relinqueret inserturus prius quaedam alia ex fontibus Romanis, quam eo uti pergeret: ita

1) Quibus fortasse annumerare possis annum 565, cuius historiae, XXXVII, 60—XXXVIII, 34, interposita est XXXVIII, 28 mentio censurae.

2) Quamquam in iis quoque Polybi historiam non prorsus quidem aspernabatur, sed adhibebat sine dubio quasi fontem secundarium sequens eius auctoritatem cum grano salis, ut ita dicam.

anno 558 absoluit XXXIII, 27—35 historiam belli cum Philippo gesti, deinde redit ad res Italicas et postremum apte in fine totius anni narrati, inde a capite 38, exponit, quae de Antiocho aliisque Asiae regibus narranda erant, apte dico, quia illae res iure ipsi uidebantur minoris momenti, quam quae ex Italicis narrandae relicuae fuerunt, simulque congruenter cum Polybio, qui res Asiaticas et Aegyptias ipse in fine annorum narrare solebat, cf. Schweighaeus. ed. Polyb. t. V, p. 495[1]. Illud igitur cum constet, Liuium earum rerum, quas ex Polybio quoque anno redderet, complexum deinceps uno tenore ponere solitum esse aliis rebus haud interpositis, hoc iam quaerendum est, quibus argumentis ducatur in tribuendo suum locum illis rebus inter alias res quoque anno narrandas.

Atque primum quidem uix uidetur monendum esse, in uniuersum pendere a temporum ratione ordinem illarum re-

1) Nec minus causae habet dispositio illa in anni 561 rebus: quod enim illic a c. 60 (inde enim malo hanc particulam initium capere quam a cap. 57, quo narrantur res Romae gestae) rem ad Asiam et ad Poenos pertinentem, quam certe ex Polybio sumpsit, narrare coepit, eius rei causam c. 60, 1 ipse significat; nam ex uerbis „*uixdum:* ii profecti erant" prodit in iis fontibus, quos maxime secutus sit c. 59, et ipsis ea secuta esse, quae nunc in Liui c. 60 q. s. exstant, quippe quae temporum serie arte cohaeserint cum illis, quae antecesserunt. Quod uero libro XXXV. non statim continuat res, quas hoc anno ex Polybio hausit, inde ortum est, quod res, quae reuera librum XXXV. exordiuntur, non erant ponendae post c. 12—19, propterea quod ita res, quae principio anni geri coeptae essent, u. XXXV, 1, 1, positae essent postremo loco inter omnes res eo anno gestas. Ita hoc anno non potuit non esse bipartita historia rerum ex Polybio sumptarum. In anno 552, cum XXXV, 34 mentionem fecerit earum rerum, quas pararint Romani praeuidentes bellum cum Antiocho gerendum, aptissime statim secuntur c. 35 eae res Graecae Romanis immixtae, cf. 40, 1, quae illam suspicionem non falsam fuisse euincant; relatis deinde rebus in Italia gestis, quae primo quoque tempore erant referendae, c. 40—41 ad Antiochum pergi poterat, c. 42—51. Fortasse hae res in Polybio ipso ita bipartitae erant, cf. Schweigh., l. supra s. Eodem modo, quo in his annis, etiam in annis 554, 563, 586 graues causae adsunt, quae Liuium a consilio suo recedere iusserunt.

rum; talis uero norma cum nec ad omnes annos adaptari possit nec, ut res se habet, semper seruata sit, altius inquirendum erit in illius rei condicionem. Atque nobis quidem ex ea ratione, qua Liuius nostra sententia in toto opere concribendo egerit, colligendum esse uidetur, eum, quantum quidem pertineat ad libros XXXI.—XXXXV., in historia conscribenda progredi paullatim secundum unum ex fontibus Romanis [1]) eiusque ordinem fere sequi solitum esse; quod etsi non ita accurate fecisse putandus est, ut ne unquam quidem ab eius ordine recesserit, tamen in uniuersum ita egit et, ubicunque primum in illo fonte res Graecae tangi coeptae erant, illum reliquit et totum se uertit ad Polybium, rediturus ad fontem Romanum eoque iterum usurus filo, postquam, quae uoluit, ex Polybio ceperit [2]). Qua re cum in uniuersum locus esset certus, quem quoque anno obtinerent res Graecae, alias deinde illas res, quas ex Polybio praeterea sumebat, e. g. Antiochi, Ptolemaei res (quas prorsus non commemorarant fontes Romani), iis locis, qui sibi aptissimi uiderentur, adiecit et uolgo quidem post res Graecas aut in fine anni, quemadmodum fecerat Polybius.

1) Aliter Lachmannus, l. a. II, 108, § 32, et Niebuhrius, Vortr. be. von Schmitz, I, 83, qui quidem Liuio nimis ualidam, ni fallor, memoriam tribuit.

2) Quod Lachmannus l. l. II, p. 8 dicit, eum Polybio quasi filo quodam usum esse, hoc in uniuersum probari non potest; nam si filo usus esset Polybio, prorsus non intellegeretur, quo modo factum esset, ut in rebus cuiusque anni disponendis rationem sequeretur tam inaequalem et a Polybio alienam.

II.

De ratione, qua Liuius uerba sententiasque Polybi reddere solet.

Huius quaestionis cardo, ut facile intellegitur, in considerandis discrepantiis uertitur, quas in reddendo Polybio admittit Liuius; de iis enim, quae paria sunt in utroque, nihil dicendum esse unusquisque uidet.

Talis est Liui consuetudo in Polybio uertendo, ut nec, qui omnes discrepantias, quae exstant inter uerba Liui ex Polybio reddita et uerba Polybi ipsa, emendando remouere uellet nihil tribuens Liui studio immutandi, recte faceret nec, qui discrepantias cuiusuis generis non librariorum incuria, sed Liui consilio ortas esse contenderet prorsusque ab emendando abstineret, iustius iudicaret; speramus equidem nos in iis, quae secuntur, omnes fere causas, ob quas Liuius aliquid uel mutare in historia Polybi uel ex ea omittere uel ad eam addere et potuerit et solitus sit, allaturos esse hoc unum quidem nunc statim profitentes consili nostri tenaces omnes eas obseruationes, quae fortasse ex tertia decade Liui hauriri possint, praeterire ob causas supra, pag. 3, nominatas. Ceterum cum in libris XXXI.—XXXXV. Liuius non in omnibus iis historiae partibus, quas ex Polybio refert, dici possit solo usus esse Polybio — ex qua re sequeretur, omnia, quae nunc exponerentur a Liuio aliter quam a Polybio, aut eius ipsius studio exornandi et paullulum immutandi aut librariorum incuria in eam, quam nunc uidemus, formam redacta esse —, elucet obseruationes et exempla ex iis tantum locis sumi posse, quibus aut Liuium Polybio solo usum esse prorsus manifestum sit aut discrepantiae tales exstent, quales, etsi etiam ex usu alius fontis ortae esse possint, tamen non minus ueri similiter Liuius putari possit de suo intulisse, ut ex eius indole atque scribendi ratione nostro iure licet colligere. Illa

uero quaestio, quatenus Liuius in ipsis singulis minutiis exponendis modo Polybium solum fontem adhibere contentus fuerit, modo alium fontem in usum uocauerit, saepe nullis rationibus ad liquidem perduci posse uidetur, nisi consideratis ipsis illis uertendi proprietatibus. Quaecunque enim res uim habent ad indagandum usum uertendi, huc quoque pertinent; ob quas causas Liuius narrationi Polybi aut aliquid addidisse aut eam paullulum immutasse deprehendetur, ob easdem pro magna parte in minutiis referendis alios fontes praeter Polybium adhibebat. Ceterum in uniuersum hoc monendum est, non esse ueri simile Liuium in rebus minimis saepe in auxilium uocasse alios fontes, exceptis scilicet illis historiae particulis, quibus in uniuersum alios illos fontes non minus adhibebat quam Polybium; ei enim fonti, cui credebat in rebus grauibus, cur non crederet in minimis?

Multarum mutationum, quas Liuius in Polybio uertendo facere solet, mentionem iam fecit Lachmannus, l. l. II, p. 108 q. s. Et illae a Lachmanno memoratae, quas hic pro maxima parte silentio licet praetermittere, et aliarum, de quibus dicemus, pars originem ducunt ex diuersitate utriusque operis et ex scriptorum ipsorum diuersa natura. Cum enim notum sit Polybium esse gente Graecum et scriptorem historiae LIII annorum uniuersalis, quam dicimus, et pragmaticae — de cuius pragmatismi genere u. Nitzschium, Polybius, p. 88 q. s. — Liuium uero, cf. Weissenborni l. l. p. 31, scriptorem e gente Romana historiae Romanae eiusque prorsus non pragmaticae, per se intellegitur ea differentia factum esse, ut Liuius[1]) in rebus paruolis quaedam ex Polybi historia omittere, alia immutare, alia denique ad eius historiam addere soleret.

Ex omnibus igitur mutationibus, quae in uertendo apparent, primum eas inspiciamus, quae ortae sunt ex *diuersa origine et consilio* utriusque scriptoris, et ex ea re, quod Liuius *Romanis* fere solis historiam suam conscripsit, Polybius uero *Grae-*

1) Tacemus hic de totis particulis historiae Polybi, quas praeteritas a Liuio scimus, e. g. rerum inter Graecos solos gestarum *summam*.

cis. Atque primum quidem uix commemorandum est, Liuium ob has causas persaepe expositionem aliquam breuem Polybi aut relatum aliquid praeteriisse, quod aut exhiberet rem sumptam ex historia Graeca, quae ad hanc tantum pertineret, nullius momenti esset historiae Romanae, aut quod tangeret rem Graecis tantum scitu dignam ignotamue, Romanis uero aut notam aut cognitu non dignam, aut quod afferet rem, quae Romanis non esset laudi gloriaeue, sed aut uniuerso Romanorum populo aut singulis quibusdam uiris Romanis dedecori vel infamiae; porro easdem ob causas Liuius interdum aliquid *addidit* quoque siue alio modo *immutauit,* non solum *omisit.* Nam cum, ut ipse profitetur e. g. XXXVIIII, 48, historiam Graecorum eatenus tantum narrare uelit, quatenus opus sit ad intellegendum conuexum historiae Romanae, non est quod mireris, quod plurimis locis singulas quasdam expositiones praetermittens uniuersas tantum earum rerum notiones aut sententias fert, non curans singula. Ita e. g. nomina legatorum aut similis alicuius, qualis est legatio, societatis omittit apponens illud tantum uerbum, quod totam societatem amplectatur, e. g. cf. XXXVI, 5, 1, „Epirotae — et Elei — uenerunt“ cum *κ*', 3, 1 *παρεγένοντο — παρὰ μὲν τοῦ τῶν Ἠπ. ἔθνους οἱ περὶ Χάροπα, παρὰ δὲ τῆς τῶν Ἠλ. πόλεως οἱ περὶ Καλλίστρατον,* XXXII, 32, 10 „principes Macedonum“ cum *ιζ*', 1, 2 *Μακεδόνες μὲν Ἀπολλόδ. καὶ Δημοσθ. οἱ γραμματ.*, aut in simili enumeratione membrum quoddam, quod est parui momenti, prorsus praetermittit, e. g. *ιζ*', 1, 4 *καὶ πλείους δ' ἕτεροι τῶν πολιτευομένων* non reddit Liuius XXXII, 32, 11. Praeterea non modo ubi Polybius de instituto quodam Romano aut more loquitur, ea uerba praeterit, propterea quod talia nota erant Romanis, sed etiam, ubi Polybius quaedam alia scribit, quae Graecis legere et erat operae pretium et eorum referebat, Romanorum non ita, illa uerba mittit, e. g. XXXII, 33 non reddit, quae exstant *ιζ*', 3, 5—6, item XXXII, 40, 6—11 non, quae exstant *ιζ*', 16, 2. — Eodem hoc statim loco mentio uidetur facienda esse aliarum mutationum, quibus Liuius praeterea

utitur hac causa motus, quod lectoribus suis Romanis ea, quae Polybius Graecis breuiter narrauit aut tantum significauit, pluribus uerbis se exponere aut accuratius definire debere putauit; ita si de locis in Graecia sermo est atque de institutis Graecis, multo copiosior aut uerbosior Polybio esse solet, e. g. XXXII, 33, 7 ex ιζ', 2, 4 nominat Sestum et Abydum, de suo addens, quod P. non habet: „in Hellesponto"; item XXXII, 37, 3 ad nomina urbium, quae ιζ', 11, 4 nude posita sunt, adicit „in Thessalia, — in Euboea, — in Achaia"; similiter XXXII, 33, 6, ubi ex ιζ', 2 Peraeam nominat, addit „regio est continentis aduersum insulam", ita XXXIII, 35, 8 ad uerba ιζ', 31, 5 adicit „ubi frequens Graeciae statis diebus esse solet conuentus" [1]). Aliquanto magis uaria et cognitu digniora sunt ea exempla, quibus rem a Polybio relatam, quia ita Romanorum famae omnino non proderat, aut prorsus misit aut paullulum immutauit aut — quod huc non minus pertinet — quibus aliquid addidit, quod pertineret ad famam gloriamque Romanorum magis etiam premendam augendamque [2]). Huius generis quaedam exemlpa iam Lachmannus II, 67 q. s. et Nitzschius, Polybius, p. 108 et 131, n. 13 attulerunt; alia quaedam eaque, quae maxime significent morem Liui, sunt haece: XXXIII, 27—28 tacet, quod ιη', 26 legit, percussores Brachyllae Boeoti cum F. Quinctio Flaminino consilium suum communicasse neque ab eo reprehensos, sed consilium perficere iussos esse; item XXXV, 20 tacet, quod λ', 3, 6 legit, Romanos ea, quae promisissent, non exsoluisse; similiter XXXVI, 28, 6 narrat consulem circumsistere lictores iussisse afferrique catenas, cum κ', 10, 8 consulem *σκύλακα σιδηροῦν ἑκάστῳ περιθεῖναι περὶ τὸν τράχηλον* reuera iussisse legerit. Porro immutat ea, quae Polybius narrauit,

1) Quod quidem num recte se habeat, hic nihil nostra interest, u. infra.

2) Eodem consilio aliorum iudicia de Romanorum hostibus paullulum immutare solet, ne nimiis laudibus illi afficiantur, cf. Lachm. l. s. et p. 43, 44 et 48 (adde Niebuhri „Vortr. be. v. Schmitz, üb. v. Zeiss", I, p. 209).

ita ut in Romanos nulla suspicio, improbe ipsos egisse, cadere possit, e. g. ιζ, 8, 8 legitur *τίνα μὲν οὖν ἦν τὰ τότε ῥηθέντα παρ' ἑκατέρου δυσχερὲς εἰπεῖν· ἔφη δ'οὖν ὁ Τίτος*, Liuius uero XXXII, 35, 8 amota suspicione, Titum alia quam uera sociis retulisse, scribit: „quae acta ad suos *Philippus retulerit*, minus compertum est, *Quinctius* haec retulit ad socios". Eius rei, quod, quae Romanorum famae prosint eorumne gloriam augeant, addit aut iis, quae per se non ingloria sunt Romanis, ita utitur, ut gloriolam, quae ex iis promi possit, ipsis uerbis extollat, exempla sint haece: XXXVIII, 9, 14 propriis uerbis addit: „nihil praetera tactum uiolatumue", quae κβ', 13, 10 non digna uidebantur, quae suis uerbis premerentur; XXXII, 35, 6 significaturus, quantum respectum Romani ad socios habuerint, dicit „id primo non acceptum", quae non exstant ιζ', 8, 5; similiter, ut rerum minimarum quoque exemplum offeramus, pro *τῶν δὲ κελευόντων*, ib. §. 6, dicit, ib. §. 7 „ex *omnium* consilio Romano imperatori ut solus procederet concessum esse."

His mutationibus eae adiungendae sunt, quae ex Polybi *pragmatica*, quam dicimus, ratione historiae conscribendae prodeunt. Vt enim et per se exspectari potest et a quibusdam iam est obseruatum, Liuium eas Polybi expositiones, quae ex illa ratione originem ducerent — quibus adnumerandae sunt etiam expositiones geographicae, topographicae, tacticae — uolgo praetermittere, ita, quod ab illis de totis expositionibus monitum est, hic a nobis de ratione uertendi facientibus uerba commemorandum est, quia ad breuiores quoque sententias Polybi pertinet; uolgo enim, ubi Polybius de consilio cuiusdam hominis, de moribus, de institutione quadam siue compluribus agit uerbis siue breuius pauca quaedam inserit, Liuius has Polybi sententias omittit aut, quod interdum, etsi rarius, fit, breuissime contrahit: Hanc consuetudinem tam constanter sequitur — e. g. uerba *νομίσαντες κ. τ. λ.* ex κβ' 8, 3 non reddit XXXVIII, 3, 2 —, ut miremur, quod nihilo secius saepe causas, quas Polybius non affert, ut quae per se

intellegendae sint, Liuius adiciat, licet opus non fuerit. Duo tantum exempla, Liuium Polybi excursum illius generis reddidisse, nouimus, quorum alterum satis debemus mirari, XXXIII, 5, ex ιη', 1, propterea quod excursus ille pro sua natura in Polybi tantum historia iustum locum habet, non in Liui, alterum ita comparatum est, ut Polybi expositionem de Romanorum moribus κζ', 8, 8, reddat, aliud scilicet quam Polybius consilium illis uerbis assequi uolens, XXXXII, 62, 11.

Sicut in iis, de quibus nunc uerba fecimus, Liuium plerumque breuiorem Polybio esse uidimus, ita haec consuetudo in aliis quoque rebus exponendis cernitur: Liuius enim, cui non tantopere esset cordi, ut quaeque res, quam descripturus erat, uel in minutiis prorsus recte intellegeretur, saepe res minoris momenti a Polybio allatas praetermisit, ita ut in uniuersum breuitatis fuisse studiosior Polybio dici potest. Atque primum quidem eas uoces sine res mittit, quas, cum essent minoris momenti, non multum intererat retulisse, e. g. cf. XXXVIII, 3, 5 „deficiunt ad Aetolos“ cum κβ', 8, 6 μετενόησαν κ. τ. λ. XXXXIV, 23, 4 „destinantur“ cum κϑ', 2, 9 πεισϑεὶς κ. προχ. ἑξ. (atque ea quidem exempla pertinent ad solas uoces), deinde exempla rerum ipsarum omissarum: κβ', 15, 3 δημοσίᾳ βουλῇ non legitur in XXXVIII, 11, 2; κζ', 9, 4 εἰς τοῦτον τὸ μέσον non exstat XXXXII, 65, 13; ιζ', 1, 1 ἐφ' ἧς αὐτὸς ἐπέπλει non legitur XXXII, 32. Similiter uerba Polybi, quibus ille aliquid mandari aut imperari narrat, omittit et statim exponit, quid perfectum sit, ita ut non mandatum, sed facinus solum legamus, e. g. XXXXIIII, 23, 3 mittit, quae κϑ', 2, 4 mandata esse narrantur; deinde condicionem quandam animorum *uno* uerbo describit, non secutus Polybi dictionem exponentis multis uerbis, e. g. XXXVIII, 3, 7, „his territis“ breuiter reddit κβ', 8, 9 τότε δὴ κ. τ. λ; praeterea huc pertinet, quod interdum historiolam quandam non accurate exponit, ut Polybius, sed rei summam tantum una uoce comprehendit, e. g. ιζ', 4, 2—3 redduntur XXXII, 34,

2 uerbis „orsum eum dicere", item cf. XXXI, 17, 1—4 et 10—11 cum ις', 30, 1—8 et 33 [1]). Neque uero eiusmodi omnia exempla sunt, ut concedere possimus, prorsus non interesse, utrum Liuius illas res retulerit necne, sed multa exstant exempla, quibus Liui narratio illis omissionibus fit minus accurata quibusque se non satis accuratum esse Liuius ipse intellexisse uidetur; huc primum pertinent ii loci, quibus Polybi numeros ea re non satis accurate reddidit, quod omisit aduerbia adiecta, qualia sunt ὡς, εἰς, σχέδον, μάλιστα, πλείους ὄντες, cf. e. g. XXXVII, 18, 12 cum κα', 8, 2, quod semper fere fecit. Praeterea Liuium nonnunquam non causa certa ductum, sed ex mera neglegentia quaedam omisisse, quae, etsi erant minoris momenti, tamen non erant omittenda, Lachmannus compluribus locis iam obseruauit, exempla attulit; sed si qua inuenies exempla, quibus Liuium nec ex consilio nec ex neglegentia aliquid omisisse putare possis, ualde fiet, si quid omissum erit, ueri simile, Liuium ipsum illud nequaquam omisisse, sed eius librarios, itaque illud, quod nunc in eius uerbis desit, in contextu, qui dicitur, esse reponendum; eius rei exempla sponte infra apparebunt plura, hic unum attulisse sufficiat: XXXII, 32, 10, ubi haurit ex ιζ' 1, 2—3, prorsus nulla excogitari potest ratio, ob quam a Liuio nomen Brachyllae Boeoti omissum sit, ita ut certisssime ex Polybio illud nomen ante „et Achaeorum exsul" sit inserendum (hinc fortasse codicum syllabae superuacaneae „is et" aut „es et" aut „um et" post „exsul" originem duxerunt) scribendumque: „erant eum eo principes Macedonum et Brachyllas Boeotus et Achaeorum q. s." Ceterum quid singulis locis nonnunquam ex eo sit consecutum, quod Liuius quaedam omisit, de eo uidebimus infra.

Quamuis igitur uideamus Liuium in uniuersum fuisse breuiorem Polybio, tamen eius quoque generis complura exempla inuenies, ut uerbosior fuisse Polybio non possit negari; Li-

1) Praeterea huc id quoque trahi potest, quod iam monuimus, causae indicia saepe omitti a Liuio.

uius enim cum sermonem ornatiorem quam Polybius amare soleat, non est quod mireris, quod persaepe ea, quae Polybius simplicius et minus ornate protulisset, pluribus uerbis describebat, exornabat, expingebat.

Atque inter eas quoque mutationes, quas ob hanc causam facere solet, inter *additamenta* duo genera spectanda erunt; prius eorum, quae tantummodo in meris uerbis exstant, alterum eorum, quibus res quaedam, sit licet minima, adicitur, quam Liuius aut ipse ita excogitauit aut ex Polybi uerbis colligens prompsit. Illuc pertinent e. g. talia additamenta, qualia sunt XXXIII, 9, 7 „haud dubia res fuit“ q. s. (ιη′, 8, 6), XXXVIII, 3, 6 „nec ita multo post“ (κβ′, 8, 9); sed ea sunt leuia; maioris momenti sunt additamenta alterius generis, quibus Polybi narrationem accuratiorem reddidit aut ea, quae per se intellegebantur, suis propriis uerbis expressit aut ea, quae Polybius retulerat, exornando amplificauit; ita addebat res, quas secundum Polybi uerba persaepe quidem est confitendum recte se habere, saepe uero falsas esse aut dubias uidemus. Liuius hoc modo in media expositione quadam ex iis, quae secuntur, summam totius rei promere eamque iam in initio paucis uerbis significare solet, ut sermo euadat numeris amplioribus currens: ita paucis uerbis praemittit, quae totius cuiusdam orationis fuerit summa aut quo modo, quo animo orator locutus sit, e. g. XXXII, 32, 13 praemittit, Philippum „superbo et regio animo“ dixisse, quod Polybius ιζ′, 1, 7—9 non expressit, sed oratione ipsa exhibita per se intellegi satis habuit; similiter XXXII, 33, 2 de suo addit, quod Polybius non scripsit, uirum Romanum orationis initium ita fecisse: „ea se dicturum, quae ni fiant, nulla sit pacis condicio“; item XXXVIII, 25, 2 ex toto rerum statu ac condicione promit, quod κβ′, 22, non scriptum est, oratores a Tectosagibus missos dixisse „nullas condiciones pacis iis non bello fore potiores“; item XXXXII, 20, 2 addit, quod Polybius κη′, 8 non scripsit, *benigne* legatos auditos esse, et quasi antecapiendo dicit, responsum eos sine effectu tulisse, denique XXXXIIII,

23, 8 addit ea, quae per se intelleguntur ex iis, quae secuntur: „ea, quae conuenerunt, esse facta“, quae $\varkappa\vartheta'$, 3, 5 non offendit expressa. Eodem modo causam, qua quis in quadam re perficienda moueretur, aut consilium, quod quis persequeretur in agendo, aut explicationem alicuius rei accuratiorem sibi ipse excogitauit [1]) et de suo addidit, uolgo recte, sed tam recte, ut perperam nemo excogitare potuisset; item interdum rem quandam sibi accuratius excogitauit rectissime, e. g. XXXII, 35, 5 „et eam opinionem ipse affirmauit“ addit, quod Polybius $\iota\zeta'$, 8, 4 non exponit; porro totas aliorum generum sententias de suo addit, rem ita sibi expingens, e. g. XXXI, 18, 6 ad ea, quae $\iota\varsigma'$, 34 leguntur, adicit „periuriumque alius alii exprobrantes, et sacerdotibus maxime q. s.“, similiter XXXIII, 9, 9 addit, quae Polybius $\iota\eta'$, 9 non habet, „nullam aciem ab tergo adortus non turbasset“, XXXVII, 7, 2 uerbis $\varkappa\alpha'$, 3, 3 adicit „si dare uere pacem, non tantum ostendere frustrantes spem miserorum uellent“, XXXVI, 29, 2 ad $\varkappa'$, 10, 15 addit „quonam modo enim utique regem Amynandrum se tradere posse?“ (in quorum exemplorum duobus ultimo loco nominatis accedit studium orationum formandarum et exornandarum, de quo u. infra). Sed interdum illa additamenta non prorsus recte facta sunt, e. g. quod XXXIII, 6, 1 addit, quae Polybius $\iota\eta'$, 2, 1 non habet, „ut paratus omni loco castris ponendis esset“, ibid. § 3 „defungi quam primum et ipse certamine cupiens“, XXXII, 33, 12 addit de suo „quo opulentius imperium haberent“ (aptius addidisset „humanitate moti“ aut simile quiddam), XXXII, 40, 9, „ne sine aliqua munificentia praeteriret ciuitatem sociam atque amicam“, XXXII, 34, 1 „ut exaudiretur“ (cf. $\iota\zeta'$, 4). Atque ab hoc studio exornandi aut rei alicuius additamento quodam accuratius definiendae non minus abstinet in singulis uerbis, ita e. g. addit XXXII, 40, 11 „illustres“, quod per se intellegebatur, cf. $\iota\zeta'$, 17, 4; XXXXII, 65, 9 addit, quod $\iota\eta'$, 9 non

1) Hoc in uniuersum saepissime facit non dicens, se de suo, non fontis auxilio addere, cf. e. g. Langi Röm. Alterth. I, 468 de Liu. III, 55, 6.

scriptum est, „ad libramen"; XXXVIII, 3, 4 de suo addit, quod κβ', 8, 5 non legit, „magna ex parte"; XXXII, 35, 7 exornando addit „ad extremum litus, quod ιζ', 8, 6 non traditum erat [1]). Praeterea ita exornabat, ut e. g. XXXIII, 8, 2, cum ιη', 5, 10 legisset προορώμενος ὁ Φίλιππος τὴν δυσχρηστίαν τῶν τόπων, diceret „*non locum, non tempus* placuisse", XXXII, 35, 2, cum ιζ', 7, 8 ὁ δὲ Φίλιππος οὐ παρεγίνετο legisset, amplificando scriberet „*nec regem nec nuntium* ab eo apparuisse"; qua re eo interdum uenit, ut prorsus non certum sit, num recte se habeat id, quod addidit, ita e. g. XXXVI, 5, 4 dicit „terrestribus naualibusque copiis praesidere" pro κ', 3, 3 προκαθίσας, XXXI, 18, 1 „trium consensu" de suo, non ex ις', 34, 1 addit; ceterum saepe hae quoque mutationes, ut additamenta illa, de quibus supra diximus, nullae sunt nisi uerborum, e. g. si pro κβ', 9, 3 καλλίστους τόπους dicit XXXVIII, 3, 10 „*apertos* campos", pro ιη', 1, 13 ἑκάστοις dicit XXXII, 33, 3 „socii populi Romani", pro ις', 34, 8 τὴν ὕπαρξιν dicit XXXI, 18, 5 „auro argentoque", quae uerba re uera eodem redeunt, quo Polybiana; quam audax fuerit Liuius in exornando, huius rei exemplum luculentum putari [2]) potest ea ratio, qua XXXII, 36, 1 reddit ιζ', 9, 1—2. Neque uero ibi, ubi obsequitur Liuius studio suo exornandi addendiue, semper Polybi uerborum terminos seruat [3]), sed saepe eo uenit, ut augere non dubitet, quod quidem facere potest non solum additamentis, sed etiam modo scribendi a Polybiano paullum diuerso: ita e. g. pro ιη', 4, 3 ἐπὶ βραχὺ

1) Fortasse huc eae quoque discrepantiae pertinent, quod e. g. XXXVI, 29, 5, ubi κ', 11, 3 νυκτὸς legit, dicit „uespera *prima*" et talia additamenta facit, qualia sunt „cum expeditis", „notis callibus"; haec enim quamuis ex alio fonte sumpsisse non *debeat* negari, tamen facile etiam fieri *potest*, ut de suo adiecerit.

2) Nam non possumus nobis persuadere, Liuium in talibus minutiis alium fontem in auxilium uocasse.

3) Eodem fortasse talia referas, qualia sunt uersiones huius generis: XXXIII, 11, 1 *missis* pro ιη', 16, 1 διεπέμψατό τινα.

διαταραχθέντες dicit XXXIII, 7, 5 „pauore quieuerunt“, pro *κγ'* 14, 2 *ὁ δὲ βασιλεὺς διατραπεὶς ὡς ἔνι μάλιστα* XXXVIIII, 34, 7 „adeo perturbatus est rex, ut non color, non uoltus ei constaret“, pro *ιη'*, 6, 8 *ἐνέκειντο τοῖς πολεμίοις* XXXIII, 8, 6 „Romani auertunt hostes.“

Neque uero solum hanc ob causam Liuius uerbis Polybi aliquid addit, ut orationem exornet et rem aliquam accuratius expingat, sed persaepe ex his causis una eum mouet, quod lectoribus, ut intellegant, rem magis aperte et manifeste exponendam esse putat aut quod non potest, quin suam scientiam ingeniumue clare apparere uelit. Exempla eius rei, quod accuratius aliquid esse exponendum aut definiendum putauit, haece sint: dicit, ut a minimis rebus initium faciamus, e. g. pro *Πτολεμαίῳ*: Ptolemaeo Aegypti regi (*ιζ'*, 1, 14; XXXII, 33, 4), pro *εἰς Πέλλαν*: Pellae ad thesauros regios (*κθ'*, 3, 7; XXXXIIII, 23, 9); exempla grauioris generis u. supra. Eius deinde consuetudinis, quod scientia sua uolt uti, ita ut aliquid addat, quod lectoribus sit dignum compertu, exempla haec apponimus: XXXVII, 19, 7 (cf. *κα'*, 8, 13) addit „ad Thebes campum“ uocibus: „carmine Homeri nobilitatum“; XXXII, 33, 9 (cf. *ιζ'*, 3, 1) dicit „uir *ut inter Aetolos* facundus“; XXXI, 15, 6 (cf. *ις'*, 25, 9) dicit, tribum Attalicam *ad decem ueteres*[1]) additam esse; XXXVIII, 3, 4 de suo[2]) addit „nam fuerat quondam Aetolorum“ (cf. *κβ'*, 8, 3), ibid. „nunquam Aetolorum fuerant“. Porro praecipue comparationibus propriis, non ex Polybio sumptis ingenium exercere et rebus, quas refert, sententias, quas dicimus generales, immiscere solet, e. g. XXXVIIII, 34, 2 (= *κγ'*, 13, 6) addit „uelut in bello capta urbe“, XXXIII, 6, 8 (= *ιη'*, 3, 2—3) „uelut ex praedicto“, XXXIII, 6, 7 (= *ιη'*, 3, 1) „ut in suburbanis locis“, XXXXII, 65, 10 (= *κζ'*, 9, 4) „uelut sagittis solent“, XXXI, 17, 5 (= *ις'*, 31, 1) comparando loquitur de hominum rabie *Saguntina* (memor historiae XXI, 14 relatae),

1) Ne prorsus recte quidem, u. Plut. Demetr. 10.

2) An hoc ex Polybi uerbo *ἀνακτήσασθαι* prompsit?

XXXII, 34, 3 non simpliciter, ut *ιζ'*, 4, 4, de Philippi permagno facetiarum amore loquitur, sed dicit proprio iudicio usus, Philippum fuisse dicaciorem natura, *quam regem deceret.*

Neque uero additamentis solum talibus, qualia attulimus, sed aliis quoque rationibus Liuius Polybi uerba paullulum immutat: Iam supra quaedam exempla occurrerunt nobis, pag. 35, Liuium eo, quod quaedam e uerbis Polybi omittat, fieri minus accuratum Polybio. Similia exempla sunt ea, quibus Liuius uerba Polybi mutauit nec addendo nec omittendo, sed parum accurate reddendo. Ita notiones certas modo magis ad singulas species significat dicens e. g. XXXII, 40, 6 „frumenti" pro *ιζ'*, 16, 3 *πυρῶν*, XXXIII, 7, 4 „pedites" pro *ιη'*, 4, 1 *εὐζώνων*, XXXVIII, 3, 8 „Macedonibus" pro *κβ'*, 8, 7, *μηδένα*, XXXXIIII, 25, 8 „Cretam" pro *κϑ'*, 1e *Κνωσίοις* (XXXVIII, 18, 3 potius errasse, quam minus accurate Polybi uerbum reddidisse iudicandus est, cum pro „Tolistoboiis" perperam nominet „Tectosagis", u. *κβ'*, 20; item XXXVIII, 3, 5, u. pag. 45). Cf. praeterea Lachmann., p. 80 q. s. Item uituperandus est Liuius, quod e. g. XXXII, 35, 8 pro „*Ἀπολλόδωρον καὶ Δημοσθένην*" (u. *ιζ'*, 8, 7) dicit „cum duobus, quos pridie adhibuerat; pridie enim adhibuerat non duos, sed quattuor. Si mutat in totis sententiis, ita ut paullulum aliae euadant, quam in Polybio exstabant, reprehendendus est, nisi mutatio pertinet ad solam sententiarum formam; atque de iis quidem mutationibus, quas in uerbis solis facit, mox uidebimus, de iis uero, quae, cum ad sententias ipsas pertineant, Liuium eo crimine onerant, non recte Polybi uerba ab ipso esse intellecta aut non satis accurate inspecta, nunc dicimus. Volgo in his exemplis errauit aut quod Graecam linguam non satis nouerat aut quod parum accurate meditabatur. Exemplum quoddam luculentum idque ad plerisque iam nominatum exstat XXXIII, 8, 13—14, ubi pro *ιη'*, 7, 9 *καταβαλόντες τὰς σαρίσσας* falso[1]) uertit „hastis positis", cf. Lachm., pag. 81.

1) Nam frustra hunc errorem a Liuio defendere studet Michael, l. l.

De errore XXXIII, 35, 8 in uertendo *ιη'*, 31, 5 commisso, u. Lachm. p. 53, atque tales quidem non proprie pertinent ad rationem uertendi, sed ad Liui scientiam mancam. Item leniorem errorem commisit XXXVIII, 25, 4, ubi uerba *σκήψεις τινὰς λέγοντες*, *κβ'*, 22, 4, falso ita reddit, tanquam Polybius de relligione quadam regibus obiecta (*σκήψεις* = relligio) dixerit, cum loquatur tantummodo de rebus, quae excusationi esse debuerunt regibus (*σκήψεις* = excusatio); leniter praeterea errasse uidetur XXXIII, 13, 7, ubi uerba *ιη'*, 21, 4 ita uertit, tanquam non dixisset Polybius *δεῖν οὐδεμίαν κ. τ. λ.*, sed *δεῖσθαι οὐδεμίας*, scil. *τοὺς Ῥωμαίους*. Vehementius errauit XXXVIII, 7, 10, ubi, cum uertenda fuerint uerba *κβ'*, 11, 14 *διὰ τὸ προβάλλεσθαι θυρεοὺς καὶ γέρρα*, perperam pro „scutis" (= *θυρεὸς*) intellegit „fores", qua notione illud uerbum ne usurpabatur quidem ab ullo scriptore, excepto Homero, *ι*, 240, 313, 340. Plura, quam uolybius tradidit, eius uerbis supponit e. g. XXXVIII, 3, 11, ubi pro *κβ'*, 9, 4 *ἅτε θέρους ὄντος καὶ κ. τ. λ.* dicit „et aestatem aptam rei gerendae adesse".

Priusquam abeamus a mutationibus, quae non tantum ad rationem dicendi, sed ad res ipsas pertinent, breuiter commemorare in loco erit, Liuium persaepe sententiarum quarundum aut rerum singularum narratarum ordinem immutasse priore posito posterius, posteriore prius. E. g. XXXIII, 5, 5 = *ιη'*, 1, 3—5, ib. § 6 = § 6 et 9, ib. § 7—8 = ib. § 10—11; ib. § 9 = § 7—8 cet.; similiter ordo singularum paragraphorum in *κθ'*, 2, 8—9 mutatus est XXXXIIII, 23, 5—6, item u. *κβ'*, 15, 8—9 = XXXVIII, 11, 8 et ib. § 10—11 = ib. § 6—7; atque talis quidem mutatio ordinis, quae non obstet connexui historiae recte intellegendo, innumerabilibus locis apparet.

Non minus hoc loco, priusquam latius progrediamur, monendum esse uidetur de audacia quadam, ad quam Liuius eo,

p. 15; *καταβάλλειν* significatione „demendi statimque praetendendi" etiam Pol. V, 85; XI, 15—16 positum est.

quod mutauerat aliquid in Polybi uerbis, nonnunquam peruenit, scilicet ut illa re mutata postea ex semet ipso aliud quiddam adderet aut potius mutaret, remoturus hac ratione discrimen illud aut incommoditatem priore mutatione ortum. Ita duobus, ni fallor, locis, XXXI, 17, 8 et XXXVI, 28, 8 sua ipsius ui excogitandi fretus addidisse aliquid uidetur, quod nec in Polybio legit nec ex alio fonte sumpsisse putandus est: XXXI, 17, 8 enim ex ιϛ', 31, 5 narrat, ubi Abydeni naues, in quibus uestis erat asseruata, incendi iussisse referuntur; quod cum Liuius commemorare oblitus esset, sensisset uero uestem perire debere, de suo addit eo loco, quo Polybius dicit aurum argentumque in mare deiecta esse, uestem quoque in mare deiectam esse, hoc spectans sine dubio, ne illa incolumis mansisse uideatur; altero loco, XXXVI, 28, 8, eodem modo de suo addidit „petente Flacco"; nam cum κ', 10, 12, ubi hoc non legitur, consul Aetolos uinciri iussisse narratus esset, Liuius uero causa motus, quam pag. 32 indicauimus, catenas tantum afferri eum iussisse diceret, non potuit ibi, ubi Polybius (§ 10) Flaccum pro Aetolis petiisse narrat, hanc rem item narrare, quia pro sua rei narratae condicione Flacco non satis erat causae, cur preces proferret; ita cum illo loco non commemorasset, Lucium Flaccum petiisse pro Aetolis, cum uero, ut huius historiolae uera condicio et Flacci animus benignus satis clare hoc modo lectoribus eluceret, metueret, postea § 8 de suo addidit, Flaccum pro Aetolis petiisse, ubi nec Polybius narrarat nec est, cur ab aliis ita traditum esse putemus.

Quibus rebus prolatis iam uenimus ad eam quaestionem, qua ratione Liuius egerit in conuertendo Polybio illis locis, quibus discrepantia rerum prorsus non euadit, sed tantum uocum et formae sententiarum.

Atque primum quidem hac in re, si maioris Liui breuitatis rationem habemus, statim elucet, permulta ea ipsa de causa a Liuio esse mutata, ita ut longius quoddam Polybi enuntiatum ab eo in breuius contrahatur, periodus, quam di-

cimus, minuatur. Simplicissimus is usus est, ut enunciatum quoddam, quod ex compluribus partibus constet, in unam contrahat, uerba compluria, quae synonima sunt, uno uerbo comprehendat; similiter in enumeratione complurium singulorum membrorum, si potest, duo membra, etiamsi inter se sunt diremta alio interposito, in unum comprehendit, breuitatis scilicet causa, ita ut duo uerba synonima uno reddantur, e. g. XXXII, 33, 7 duo membra, quae ιζ', 2, 3—4 sunt de Iaso, Bargyliis urbeque Euromensium et de Sesto Abydoque, in unum contrahit, pro φρουρὰς ἐξάγειν et παραχωρεῖν scribens unam uocem „praesidia deducere“ [1]). — Alia quaedam, quae unoquoque loco nobis occurrit, discrepantia inter Liui et Polybi sermonem non tam ex Liui proprietate quadam, quam ex Polybi genere scribendi prodit. Hic enim cum pro sua dicendi ratione plerumque scribat breuibus iisque simplicissimis enuntiatis, Liuio scriptori orationis comptae et elegantis studioso non pro exemplari esse potest in periodis, quas dicimus, formandis; ob eam rem Liuius ea, quae in Polybio leguntur uel duobus uel tribus enuntiatis simplicibus, in unam periodum magis comptam neque uero inconcinnam contrahit, cf. κβ', 8, 7—8 cum XXXVIII, 3, 6, κ', 7, 5 cum XXXVI, 6, 3, alterum illud enuntiatum „cum“ particula siue tali aliqua in protasis, alterum in apodosis formam redigens [2]), e. g. cf. ιη', 2, 1—2 c. XXXIII, 6, 1—2, ιη', 2, 5—7 c. XXXIII, 6, 4, ubi tres sententiae in unam comprehenduntur. Cui obseruationi cum adici possint sexcentae aliae, quae huc pertinent, liceat unam tantum addere, in quam incidimus in unoquoque fere capite; pertinet ea ad Polybi rationem dicendi aut potius ad Graecae linguae proprietatem quandam, qua caret lingua Latina ideo-

1) Si quando ratione prorsus opposita unam Polybi uocem reddit duabus, hoc facit aut notionis illius accurate reddendae causa aut studio facultateque exornandi, e. g. ιζ', 2, 2 κατέφθειρεν reddit XXXII, 33, 5 spoliasset euastassetque.

2) Ceterum exempla etiam contrarii moris exstare uix commemorandum est, cf. κβ', 8, 9 c. XXXVIII, 3, 6—7.

que etiam Liuiana. Participiorum enim Graecorum cum notum sit maiorem exstare copiam latioremque usum, quam Latinorum, per se intellegitur, Liuium, cum Polybium uertat, illa non posse recipere omnia in expositionem suam eadem forma. Ea potissimum participia, quae a Polybio constructa sunt directe, non absolute, paene omnia non potest non mutare, propterea quod in uernaculo sermone nec habet nec, si adessent, adhiberet totidem participia; multa exempla eius rationis, qua commutat illa participia, exstant, ut unum locum afferam, in XXXIII, 7 (ιή, 4), ubi Liuius § 4 ex eorum quattuor participiorum, quae Polybius habet, numero unum reddit „cum" particula, quam sequitur uerbum finitum, quod dicimus, alterum supini forma priore, aliud ad obiectum trahit, quartum, ut quod non fuerit magni momenti, prorsus omittit, breui post προάγοντες participium reddit sententia, quae „ubi" particula incipit, aliud διαταραχθέντες uertit ablatiuo absoluto, quem dicimus, § 8 ἐλπίσας reddit sententia „ut qui" uerbis introducta, denique 10, 6 uerba Polybi τοὺς ἀνασωζομένους (10, 2) uertit: „si qui q. s."; cf. praeterea κβ', 8, 2 τὰ μὲν ἀπολογούμενος, τὰ δὲ κατηγορῶν, τὰ δὲ παρακαλῶν cum XXXVIII, 3, 1 „petebat — excusabat — incusabat" (ubi accedit ordo membrorum inuersus); exempla eius rei afferri possunt inummerabilia. Praeterea Liuius etiam genitiuos Polybi absolutos, ne cumuletur oratio participiis, persaepe alia ratione reddit, e. g. enuntiatis integris. Quae omnia ita esse, non opus est multis uerbis demonstrare nec magis opus est commemorare, etiam exstare nonnulla exempla, quibus contrarium acciderit.

Illud quoque ne quis miretur, quod non tanta est Liui in Polybio uertendo fides, ut non interdum in sententia aliqua exprimenda paullum aliam uiam, rationem, imaginem adhibuerit, ita ut in his ipsis non conspiciantur indicia uersionis; huc pertinent talia, quale est uersio „rediere sine spe pacis" pro παραγενηθεὶς τὸν πόλεμον ἀνήγγειλε, „plures quam omnes unquam qui" (XXXII, 33, 14) pro τοσαύτας ὅσας οὐδείς ποτε (ιζ', 3, 9), „quibus circumiectis gentibus" uerba pro γενομένης

δὲ τῆς τῶν πραγμάτων εὐροίας τοιαύτης, cf. pag. 40; similiter XXXVIII, 3, 5 „Amphilochos cum Aetolis esse fugamque ex Athamania Philippi et caedem praesidii eius" pro *κβ'*, 8, 6 *τῷ περὶ τοὺς Ἀθαμᾶνας καὶ τὴν τοῦ Φιλίππου συνήθειαν*[1]). Quae omnia si non inuenirentur, quin etiam si non persaepe inuenirentur, male et pueriliter uertisse Liuium non possemus non iudicare. Ceterum in his quoque id obseruandum uidetur, Liuium Polybi sententias breuiter reddere studere, ut, si quam rem alia ratione aeque bene, sed breuius exprimere possit, hoc faciat, e. g. pro *κβ'*, 8, 2 *παρακαλῶν προσδέξασθαι πάλιν αὐτὸν εἰς τὴν συμμαχίαν* dicat XXXVIII, 3, 1 „pacem petebat"; persaepe nulla alia causa motus immutat, quam quod ita lubet, qua re, ut uidimus supra, interdum eo uenit, ut non satis accurate scribat, ita e. g. XXXVIII, 9, 13 „signa aerea marmoreaque et tabulae pictae" dicit pro *κβ'*, 13, 8 *τὰ ἀγάλματα καὶ τοὺς ἀνδριάντας καὶ τὰς γραφάς*, XXXXIII, 19, 3 „captiuos uendenti" pro *κη'*, 8, 8 *τὴν λείαν ἐλαφυροπώλησε*, XXXII, 33, 14 „priore anno" pro *ιζ'*, 3, 9 *καθ' ὃν καιρὸν ἐκ τῶν ἐν Ἠπ. στ. ἐπ. τ. σπ.*

Restat, ut pauca uerba faciamus de ratione, qua Liuius in orationibus Polybi reddendis egerit, de qua re u. etiam Lachmann., II, p. 114. Primum enim, ut notum est Liuium orationum historiae intexendarum fuisse studiosum[2]), ita in reddendis uerbis Polybi haec proprietas uel maxime apparet. Namque non solum ubicunque fere Polybius orationes, quas dicimus obliquas, scripsit, eas mutauit in directas, quia historiae comptae et rhetorice scriptae magis fauent orationes directae, quam indirectae, cf. e. g. *ιζ'*, 1, 6 q. s. cum XXXII, 32, 13 q. s. — mutationis contrariae fere nulla exempla exstant (quamquam *ιη'*, 6, 3—6, XXXIII, 8, 4—6 huc pertinere non ignoro) —, sed etiam, quas sententias a Polybio in con-

1) Ceterum *συνήθειαν* uox certe corrupta est; pro *Ἀθαμᾶνας* ex errore scripsit Liuius „Amphilochos".

2) cf. Hegewisch, Ueber den polit. Charakt. des Liuius, p. 177 q. s., in eiusd. Neue Samml. kl. hist. u. liter. Schriften, Altona 1809; Iustin. 38, 3.

nexu historiae positas, non in orationibus, potuit redigere in in orationis formam facili mutatione, redegit, siue ea re continuans orationem, quae iam exstat, siue nouam formans, cf. XXXII, 38, 4 cum ιζ', 2, 1; XXXII, 34, 13 cum ιζ', 7, 1 q. s. Praeterea uero omnes mutationes, quas in Polybio uertendo eum adhibere diximus, multo saepius etiam et multo uehementius occurrunt in orationibus; in his uersio, quae dicitur ad uerbum, multo rarius conspicitur. Nam non solum figuras, quas dicimus rhetoricas, immutat, cf. XXXII, 33, 13 „quod" q. s. cum ιζ', 3, 8 μανίας κ. τ. λ., ib. § 16 „eadem fraude" q. s. cum § 12 τί δὲ κ. τ. λ., formas sententiarum inuertit, cf. XXXII, 33, 15—16 cum ιζ', 3, 10—12, XXXI, 15, 4 cum ις', 26, 6, ordinem singularum sententiarum quam maxime mutat, cf. ιζ', 4, 5—7 c. XXXII, 34, 6 et ιζ', 4, 8—5, 3 c. XXXII, 34, 5, ιζ', 5, 5—8 c. XXXII, 34, 4, ιη', 34 c. 40, sed etiam totas sententias Polybi omittit, e. g. ιζ', 4, 2 et 4, 8—5, 4 non exstant pro maxima parte in XXXII, 34, et, quod saepius accidit, de suo totas sententias adicit exornando et expingendo, e. g. XXXI, 18, 4 „sin bello — sentietis" non exstant in ις', 34, XXXII, 33, 10 „iam dudum se reticere q. s." non exstant in ιζ', 3, u. ib. c. 35, 12, et 33, 12. Porro Liuius in uniuersum uberior et copiosor est in orationibus et quod ad totas sententias et quod ad singularum sententiarum formam pertinet, u. e. g. quo modo uberius exprimat simplices Polybi sententias tales, quales sunt κα', 8, 5 οὔτ' εὐσχήμονα κ. τ. λ. XXXVII, 19, 1 „nec honestum esse dicere q. s." et ιζ', 1, 6 τοῦ δὲ Τίτου κελεύοντος κ. τ. λ. XXXII, 32, 13 „commodius — audiamusque" (item ib. § 15 addit molem uerborum superuacaneam „qui cum hoste q. s."). Pluribus exemplis non opus esse putamus, quippe quae ex unaquaque oratione promi possint.

Quod si — quod quidem habet aliquantum difficultatis et periculi — in uniuersum iudicare uolumus de ratione, qua Liuius in Polybi uerbis reddendis egerit, hoc fere iudicium fieri debere putamus: quo magis Liuius in mutationibus, quas

in Polybio conuertendo adhibet, uerba dumtaxat mutat, res non tangens, eo plus laudis assequitur; quo magis mutationes suas ad res pertinere patitur, etiamsi in minutiis tantum, eo minus laudandus est.

III.

Compositio fragmentorum Polybi et locorum Liui, quibus illa fontes fuerunt.

Hanc compositionem ita instituemus [1], ut prius percurramus ea fragmenta, quibus Liuium fontibus solis usum esse non uocantem in auxilium fontes Romanos aut ex ea re, quam argumentatione euicimus pag. 15, sola aut ex mira congruentia uerborum Liui et Polybi perspiciamus — quod factum est, quia referebantur res Graecae ad Romanos non spectantes —, deinde supponamus indicem omnium eorum fragmentorum, quibus Liuium solis fontibus usum esse non possimus contendere cf. p. 8.

Hisce igitur Polybi fragmentis Liuius solis quoque loco fontibus usus est:

ιζ', 25—26: XXXI, 14—15. Obstare uideri potest sententiae, quae est Liuium solo Polybio usum esse, id, quod Liuius c. 15, 5 et 7 habet quaedam, quae nunc non legimus in Polybio; sed in Polybi c. 26 uerbis, qualia nunc legamus,

1) Mittemus omnia ea fragmenta, quibus num usus sit Liuius ualde dubium est, e. g. ιζ', 25 (XXXIII, 24?), 26, 13 (XXXIII, 28, 10?, cf. Schweigh. VII, p. 382), ιθ', 1 (XXXIIII, 17?), κ', 13 (XXXVI, 35?), κα', 4, 2—6 (XXXVII, 11?), κγ', 6 (XXXVIIII, 24?); praeterea hoc statim loco annotamus nos consulto omissuros esse ις', 27 et λ', 11, propterea quod persuasum nobis est, nec XXXI, 16 eiusdem rei narrationem esse, cuius sit ις', 27 (quae hic narrantur, ea Liuius omnino in historiam suam non recepit) nec XXXXV, 13 eiusdem, cuius sit λ', 11.

aliqua intercidisse ex his prodit: καὶ particula, quae legitur 26, 9 διὰ τὸ κἀκείνους αὐτοῖς χωρὶς κ. τ. λ. non habet, quo recte referatur, neque uerba χωρὶς τῶν ἄλλων apta sunt; post κἀκείνους sequi debebat, dum modo καὶ recte se haberet, αὐτοῖς (χωρὶς τῶν ἄλλων) τὴν πολιτείαν ψηφίσασθαι; nisi igitur et falsa est καὶ particula et falsa sunt χωρὶς τῶν ἄλλων uerba, illa sententia intercidit; illa uerba non falsa esse, sed aliquid intercidisse testantur uerba Liui c. 15, 7 „quemadmodum" q. s. Quin igitur lacuna statuenda sit, non dubium est; in qua ea quoque intercidisse, quae Liuius 15, 5 addat de Atheniensium nauibus longis, ueri simillimum est, ita ut inter κἀκείνους αὐτοῖς χωρὶς τῶν ἄλλων et τάς τε ναῦς haec fere uerba scripta fuisse uideantur: τὴν ἰσοπολιτείαν ψηφίσασθαι καὶ ἀνακτησαμένους δέκα τριήρεις Ἀθηναίας ληφθείσας ὑπὸ τῶν Μακεδόνων. Lacuna paullum maior nihil habet, quo improbetur, praesertim in his excerptis, u. p. 17—20, neque ex eo, quod Liuius de nauibus illis superiore loco § 5, uerba fecerat, prodit, Polybium non posse hac demum paragrapho earum mentionem fecisse [1]), u. p. 41.

ις', 30—31, 33—34; XXXI, 17—18. Quae Liuius addit c. 17, 1 „tormentis per muros dispositis", ib. 8 „tectis publicis priuatisque", ib. 11 „principes, quibus" q. s., nec ex Polybio nec ex alio fonte hausit, sed ipse sibi excogitauit. Quod ις', 34, 1 Attalus et ipse, non tantum M. Aemilius uenisse narratur, hoc Liui non intererat commemorare; Liuius 18, 1 „qui Alexandriam missi erant" uerba ex narratione Polybi, quae antecedebat, hausisse putandus est, u. XXXI, 2, 3; de discrepantia inter Liu. c. 17, 8 et Pol. c. 31, 5 u. p. 42. Quaecunque hic Liuius Polybio accuratius exponit, ea aut ipse exornauit aut sumpsit ex iis, quae in Polybio sequebantur statim post c. 34, nisi forte in c. 34 ipso quaedam desunt. Vnus in hac

1) Ceterum cui ueri similius esse uidetur, Polybium in iis, quae antecedebant, nobis uero non sunt superstita, de illis nauibus exposuisse, ei in lacuna haec tantum intercidisse probabuntur: τὴν ἰσοπολιτείαν ψηφίσασθαι καί.

Polybi ecloga locus exstat, qui ex Liuio est emendandus, scilicet c. 34, 5 legendum est Ἄτταλος καὶ Ῥόδιοι τὰς χεῖρας κ. τ. λ.; hoc enim suadent non tantum uerba Liui c. 18, 2, sed rei ipsius condicio, cum nec Philippus de Attalo tacere nec, si tacuisset, Flamininus de Atheniensibus, Cianis, Abydenis tantummodo in responso dicere, de Attalo nihil addere potuisset.

ιζ΄, 16—17: XXXII, 40, 8—11. Quae Liuius uertit e Polybio „cum ipse uiros spoliasset", ommissa sunt inter Pol. c. 16 et 17; c. 17, 1 non sunt integra Polybi uerba, ut equidem puto, sed ab excerptore breuiter contracta. Fortasse Pol. 17, 4 non scripsit αἰκίας καὶ βίας, sed κολακείας καὶ βίας, ut Liu. § 11 scripsit „blandiendoque ac minando".

ιη΄, 24: XXXIII, 21, 1—5. — ιη΄, 24, ed. Bekker. p. 887, u. 4—5: XXXIII, 2, 1, ex quo loco Liui elucet, fragmentum Polybi iustum locum non hic habere, sed ante omnia fragmenta ponendum esse, quae ex Pol. ιη΄ restant. — ιη΄, 24, Bek. p. 887, u. 6—9: XXXIII, 20, 3, fragmentum Polybi non est ponendum eo loco, quo nunc exstat, sed ante id, quod XXXIII, 21, 1—5 respondet, h. e. ante cap. 24. — κ΄, 1: XXXV, 45, 9 et 46, 2. — κ΄, 2: XXXV, 50, 5. — κ΄, 3: XXXVI, 5, 1—8. Quae habet Liuius § 2 et 3 plura Polybio, aut de suo addidit aut in Polybi excerpto omissa sunt. — κ΄, 7, Bek. p. 903, u. 23—31 (§ 3—5): XXXVI, 6, 1 et 3. (κ΄, 8: XXXVI, 11, 1—2; uerba Polybi Athenaeus hic illic immutauit). — κα΄, 5, 1—4 (B. 912, 3—11): XXXVII, 11, 13. — κα΄, 7, 1—2 (B. 912, 29 q. s.): XXXVII, 20, 1.

κβ΄, 8: XXXVIII, 3, 1—7. Primam tantum paragraphum ope fontis Romani non spreta Liuius scripsisse uidetur; quae deinde differunt inter Liuium et Polybium, aut Liuius de suo addidit studio et facultate exornandi ductus aut corruptelis sunt deformata in alterutro scriptore. Pol. § 6 συνήθειαν uox quomodo sit emendanda, non liquet, cf. pag. 45, ann. 1. — κγ΄, 13, 1—7 (B. 963): XXXVIIII, 34, u. infra. — κδ΄, 8b, fr. 1: XXXVIIII, 49, 3; secundum Liui contextum, qui

dicitur, Polybi fragmentum ante id ponendum est, quod nunc c. 6 in editionibus numeratur. — (κδ', 8b, fr. 2: XXXVIIII, 52, 7)[1]. — κδ', 9, 1—4: XXXVIIII, 52, 7, 9. Liuius uehementer contraxit, breuissime reddidit; totius excursus causam ex Polybio petiuit.

κς', 10, 1 et κς', 10, 2—16: XXXXI, 20. Liuius hic omnia sua sumpsit ex Polybio, cuius uerba Athenaeus non accurate tradidit, sed excerpsit, ut uidetur. — κζ', 7a—7b (Bek.): XXXXII, 63, 1—2; ex Liuio, qui breuissime hic contraxit, apparet, hanc eclogam esse ponendam ante c. 9. — κζ', 9: XXXXII, 65, 9—10. Polybium § 1 scripsisse καινὸν, non ξένον ex Liuio quoque elucet missis aliis causis.

κη', 8: XXXXIII, 19, 13—20, 3. Discrepantiae, quae inter utrumque exstant, aut sunt nullius momenti, e. g. pro λείαν: „captiuos“, aut corruptelis in alteriusutrius scriptoris uerba illapsis debentur. Quod enim Liu. 19, 14 legimus „in Illyrico“ non additis uerbis „et Epiro“, secundum Pol. § 2, errore librari potius explicandum, quam ex Liui breuitatis studio ortum esse putamus; scripsit igitur Liuius „in Illyrico et Epiro“. Num eodem modo Pol. § 3 pro εἰς τὴν Ἰλλυρίδα ex Liu. 20, 1 restituendum sit εἰ'ς τὴν Ἰλλυρίδα καὶ τὴν Μακεδονιάν minus certum est, cum facile fieri potuerit, ut Liuius de suo addiderit „aut Macedoniam“; illis enim uerbis non scriptis tamen eadem sententia exsistit. Denique quod Pol. § 8 nunc legimus ἐφ' Ὕσκανα, quamuis Liu. 20, 4 scriptum sit „Ancyram“, id culpa editorum Polybi nouissimorum factum est, qui cod. Vrsiniani lectione, quae est ἐς Ἄγκυραν, nimis celeriter reiecta a cod. Bauarici lectione, qua est ἐπακκῶναν, profecti sunt; legendum enim est ἐπ' (ἐς?) Ἄγκυραν, cum nec quod illius urbis mentionem praeterea non habemus, cf. Schweigh. ad h. l. — esse enim debet alia Ancyra, quam uolgo nota — nec quod Steph. Byz. eius mentionem non fecit, demonstret illam urbem non exstitisse.

1) Polybi uerba aut ualde excerpta esse aut Liui nimis breuiter contracta uidentur, quam ut certa comparatio institui queat; Polybium hic solum fontem Liui fuisse certum est ob materiam ipsam.

κη', 9, 1: XXXXIII, 23 ex. — *κη'*, 9, 2: XXXXIIII, 7, 8. — *κθ'*, 1c—1f (Bek.): XXXXIIII, 24, 25—26, 1. Quae Liu. 24, 9—11 tradit, habet ex ea Polybi narratione, quam antecessisse hic ipse, c. 1c, significat. Liuium quamquam inde a cap. 25 non ad uerbum uertisse uidemus — ceterum uersionis uestigia quaedam exstant, cf. e. g. Pol. ed. Bek. 1033, u. 30 q. s. cum Liu. 25, 9 —, tamen ex alio fonte praeter Polybium aliqua cepisse non est cur putemus; agitur enim de re, in qua narranda quilibet fons Romanus Polybio postponendus erat. Si eius lacunae, quae Liu. 25, 6 exstat, u. e. g. edit. Weissenb., rationem habemus eorumque, quae in ea intercidisse uidentur, nihil, quod quidem sit alicuius momenti, restabit, quod in altero scriptore exstet, in altero desideretur. — *κθ'*, 2—3: XXXXIIII, 23—24, 2. Quod Liu. 23, 10 quaedam tradit de Metrodoro, Dione et Polyarato, quae in Pol. ecloga non exstant, non dubium est, quin ea in Polybianae historiae ea parte, quae antecessit, olim lecta sint; namque Polybium ea narrasse certissimum est atque narrasse putandus est ibi, ubi „ab Rhodo uenisse“ Metrodorum retulit. Quae si non narrasset, non potuisset c. 3, 7 tam nude dicere de Philippo: *ἔπεισε δὲ καὶ κ. τ. λ.*; tum enim haec uerba non Polybio, sed epitomatore essent digna. Ceterum ex Liuio prodit, hanc eclogam non post, sed ante eam ponendam esse, quae in Bekkeri editione praecedit.

κθ', 5: XXXXIIII, 29, 6—8. Liuius Polybium solum adhibuisse fontem non posset credi, si ecloga referret integra uerba Polybi. Sed putandum est, quodcunque Liuius habeat plus quam Polybius, olim quidem in Polybi uerbis non defuisse, sed nunc excerptoris tantum culpa deesse; nam ne excogitari quidem potest ulla causa, non dico cur Liuius Polybio alium fontem praeferre, sed cur in hac ne Polybio largior et accuratior esse uoluerit, cum hoc omnibus aliis locis ab eius more narrandi tales res abhorreat.

Hisce reliquiis Polybi Liuius praetera usus est fontibus non solis quidem, sed principibus[1]*:*

ιζ', 1—10: XXXII, 32—36. Cum nec talia a Liuio addantur, qualia non addat uolgo de suo, nec omittantur alia, quam quae uolgo omittere soleat, non animaduertuntur uestigia alius quam Polybi fontis; de Liu. 32, 9 u. pag. 35; praeterea ueri simillimum esse puto, Polybium 8, 10 item, ut Liu. 35, 9 habeat „perfugas", scripsisse „καὶ τοὺς αὐτομόλους καὶ τοὺς αἰχμαλώτους πάντας. De hoc fragmento u. etiam Nitzsch., Polyb. p. 108. — ιζ', 11—12: XXXII, 37. Polybius non iam est solus fons; ex c. 12 paucissima haurit Liuius. — ιη', 1—10: XXXIII, 5, 3—10, f. Pol. ιη', 1 Liuio, 5, 3 — f., solus fons fuisse uidetur; nam quod ea, quae Liu. § 7—8 et 9 exstant, in Polybio scripta sunt mutato ordine, miri nihil habet, u. pag. 88: sed inde a cap. 2 (Liu. c. 6) est fons princeps tantum, cf. Liu. 10, 10. De Liui errore in c. 9, 6 u. e. g. edit. Drakenb.[2]) — ιη', 16—22: XXXIII, 11—13. Polybius est fons princeps; c. 16, 4—7 a Liuio praetermittitur. — ιη', 26: XXXIII, 27, 5—28, 1; de Pol. § 10 u. pag. 72. ιη', 27—31: XXXIII, 30—35. Liuius tam diligenter utitur Polybio, ut ea quoque, quae 30, 6 habeat, in Polybio exstitisse, in ecloga inter 27, 6 et 27, 7 ab excerptore omissa esse appareat. De Liui errore c. 35, 8, u. Lachm. p. 53. Ceterum certum esse puto, ea, quae Liuius 34, 9 dicat inde a uerbo „Heraea" usque ad „Eretriam", intercidisse in Polybi ecloga, c. 30, 10 post ἔτι, propterea quod ea ipsa Liuius sumpsit a nemine nisi a Polybio; quam ob rem ne dubitent editores illa uerba recipere in Polybi contextum, qui dicitur. Quod Liu. 33, 2 Flamininum XXXIII ferme annorum fuisse scribens contradicit Polybio (ιζ', 12, 5), nihil miri habet in tali re. — ιζ', 32, 3—34: XXXIII, 39—40. Lachmanni, p. 54, annot., con-

1) Nonnunquam in his quoque congruentia tanta est, ut Liuio fontes soli fuisse uideantur; neque uero hoc, ut in iis, qua antecedunt, ex genere materiae, quae narratur, concludi potest ob eamque rem dubium est.

2) Frustra defendere studet Lachm., p. 82.

iectura recta est, nisi quod lacuna non pone „restituique“ uocem, sed pone „fuisset“, ante „aequom“ statuenda est. — κ', 9—11: XXXVI, 27—29. Vide p. 32 et 42 de κ', 10, 8 et 10. — κά, 2—3: XXXVII, 6, 4—7, 7. Polybius est Liui fons princeps, a quo, quamquam quaedam breuissime tantum reddit, nusquam dissentit; nam quod discrepant numeri Liu. 6, 4 „sex milia fere passuum“ et Pol. 2, 9 ἑξήκοντα σταδίους, hoc ex corruptela aut Liuiani aut Polybiani numeri ortum est, ita ut aut Liuium septem (octo?) aut Polybium πεντήκοντα scripsisse pro certo credere possimus. — (κά, 4, 1 B. p. 911, u. 14—16: XXXVII, 9—11). — κά, 4, 7 (B. p. 911, u. 32 q. s.): XXXVII, 9, 9. Liui uox, quae est „nemo eorum“, non refutat Polybi δύο. — κά, 8: XXXVII, 18, 10—19, 7. Polybius paene solus fons Liui est. Quae Liu. 18, 10 habet eademque desunt in Polybi uerbis, ea hanc eclogam in Polybi historia antecessisse, item, quae 19, 7 de Adramytteo dicit, illam uidentur secuta esse. Ex Liu. 19, 7 mentione agri Pergamenorum sequitur, in Pol. 8, 12 hanc ipsam etiam exstitisse itaque inter Ἐλαϊτῶν et χώραν inserenda esse haec uerba: καὶ τῶν Περγαμηνῶν. — κά, 9: XXXVII, 25, 4—26. 1. Ad Polybi, qui est fons princeps, narrationem Liuius multis locis aut de suo aut ex fonte alio nonnulla addidit. Vnus exstat locus in Liu. c. 26, quo quaedam intercidisse et per se intellegi poterat et ex Polybi comparatione sequitur. Lacuna enim statuenda est post Liui uerbum, quod est „uisendam“, c. 26, 1—2 [1]).

1) Ubi cum scriptum sit, Antiochum ad classem uisendam profectum esse Ephesum „magis quia q. s.“, luce clarius est eas duas causas, quae § 2 nominentur, non posse nominari causas eius rei, quod ad classem uisendam proficiscatur, sed eius tantum, quod nauibus rem gerere decreuerit; nam quod Antiochus classem uisere uelit, eius rei causas afferri nec est operae pretium nec, etiamsi esset, illae causae, quas nunc allatas legimus, aptae essent. Liuius causas illas attulit eius rei, quod Antiochus nauibus rem gerere consilium cepit; ita cum per se iam elucescat, post „uisendam“ intercidisse nonnulla uerba, quae hanc sententiam „mari iam rem gesturus“ expresserint, certissimum hoc fit Polybi uerbis consideratis, qui § 13 diserte dicit „προέθετο ναυμαχεῖν“.

κα', 10—12: XXXVII, 34—36. Liuius nec addit graues res ex aliis fontibus nec a Polybio in ulla re dissentit, sed eius uerba audacius reddit. Ceterum hic quoque ex Polybi comparatione corruptela quaedam detegi potest eaque uehementissima, c. 35, 3, quae quidem et per se inuestigari potuit; ibi enim ita fere legendum est [1]: „Ionicas, quae in Asia sint, ciuitates tradere paratum esse et Aeolicas, si quas Romani“ (aut „eas, quae in Asia sint, ciuitates tradere paratum esse Ionicas et Aeolicas si quas Romani“).

κα', 13—14: XXXVII, 45, 4—21. Polybio utitur Liuius fonte principe rationem quidem habens alterius quoque fontis, sed ita, ut nec res graues ex eo recipiat, nec usquam a Polybio dissentiat et in rebus grauissimis, foederum condicionibus, Polybium accurate uertat. Ceterum ex comparatione non id tantum apparet, quod Bekkerus uidit, annot. ad Pol. c. 14, 1,

1) Agitur de uerbis „eas, quae in Asia sint, ciuitates tradere paratum esse et si quas alias Romani“. Primum enim absurdum est, Antiochum dicere se ciuitates, quae in Asia sint, tradere paratum esse, et, si Romani uelint, alias quoque quasdam; nam praeter Asiaticas ciuitates quasnam Antiochus tradere potuit? nullas habuit in Africa et de Europa iam dictum est § 2—3, nullas igitur tradere potuit praeter Asiaticas. Deinde § 7 de Asiae parte non ita loquitur, tanquam se eam tradere iussum iri pro certo exspectet, quemadmodum hic dicit: „eas, quae — *paratum esse*“. Denique § 9 respondetur de Ionia atque Aeolide, de quibus, ut nunc uerba legimus, antea prorsus nihil dictum erat, et illa condicio, quam sibi impositurós esse Romanos Antiochus non exspectauit, 'sed quam ut rem insperatam et improuisam ei imponunt, agit de certa quadam Asiae parte, scilicet de ea, quam exceptis Ionia et Aeolide possidet Antiochus. Quibus omnibus ex rebus apparet, Liuium § 3 non scripsisse ea, quae nunc legimus, sed quae eum ex Polybio sumpsisse et illa ipsa paragraphus 9 et Pol. 11, 8 docet; non dixisse eum de iis ciuitatibus, quae in Asia sint et praeterea de aliis quoque, sed de Ionicis et de Aeolicis ciuitatibus, quae in Asia sint. Quod ut nonnisi uehementissima mutatione in Liuio restitui posse primo aspectu uidetur, ita accuratius inspicienti facilius emendari posse apparebit; putamus enim „eas“ particulam esse reliquias „Ionicas“ uerbi et „siquas alias“ uerba corrupta esse ex „aeolicas siquas; atque hac mutatione non leni opus esse negari non potest, nam ea solum ratione peruenimus ad eam lectionem, quae unice uera esse potest. Quam ob rem non est abstinendum a graui medicina.

sed etiam c. 14, 10 post *τὰς δυνάμεις* intercidisse ea locorum nomina, quae scripta habet Liu. 45, 19 „in hiberna Magnesiam ad Maeandrum et Tralles Ephesumque“, quod quidem iam ex Polybi uerbis *διεῖλον τὰς δυνάμεις* ipsis nimis nude positis, qualia nunc legimus, concludi poterat.

κβ', 1—7: XXXVII, 52—56. Polybius fons princeps in quibusdam tantum partibus est, ut exspectari potuit, cum narrentur res Romae gestae; quaedam Liuius accuratius et uberius Polybio narrat, sed in Eumenis e. g. oratione Polybium uertit, alii fonti non postponens; quaedam sententiae, quas nunc legimus in Liuio neque uero in Polybio, in huius uerbis omissae uidentur. Ex comparatione non hoc solum lucramur, ut, quae interciderint Pol. c. 5, 14, cf. Schweigh. ad h. l., intellegamus, sed etiam ut Liu. c. 54, 11 corruptelam inesse perspiciamus ex Pol. 5, 14; Liuius enim ita scripsisse uidetur sequens Polybium: „nam et Lycaonia et Phrygia utraque, et Pisidica omnis et Hellespontica, et Chersonnesus“ [1]).

κβ', 9, 1—6: XXXVIII, 3, 9—11. Liuius Polybio solo fonte esse usus uidetur, nam tales discrepantiae, qualis est „*τὰς τῶν ἔργων παρασκευάς*“ et „ad aggeres excitandos“, et talia Liui additamenta, quale est „nauigabile flumen“, non putanda sunt originem ducere ex alius fontis usu. — *κβ'*, 10, 1—6: XXXVIII, 5, 2—5. Polybius, cuius uerba accuratius habemus in ed. Mueller., quae exstat in Iosephi oper. rec. G. Dindorf, u. II, in fine, p. 16—18, solus fons fuisse uidetur.

1) Ea enim Phrygiae diuisione, quam Polybius facit in duas partes „Pisidicam et Hellesponticam“ — de Phrygia „Pisidica“ loquitur etiam Strab. XII, 8, 13 —, Liuius eo uenit, ut diceret „Phrygiam utramque“; quod postquam dixit, non iam Pisidiam loco noui membri enumerare potest. Ordo etiam enumerandi, qualis adhuc exstat in Liui uerbis, aptus non est, quippe quo primum commemoretur regio procul abiecta, Lycaonia, deinde secunda propinqua, deinde tertia abiecta, denique quarta propinqua; haec inconcinnitas tollitur, si in enumerandis Lycaonia, Phrygia utraque, Chersonneso de tribus tantum membris agitur, quorum secundum est bipartitum, semperque pergitur ad regionem, quae magis spectet ad septentrionem. In Polybio, qui aliter instituit enumerationem, illa pergendi ratio adhibeatur non necesse est.

— κβ', 10, 7—9: XXXVIII, 5, 7—9. Heronem potius excerpsisse, quam integra reddidisse Polybi uerba putamus, u. pag. 17; nam ita breuiter, ut nunc legimus, Polybius de illa re scripsisse non potest. Quam ob rem omnia, quae Liuius habeat, a Polybio et ipso scripta fuisse eumque solum Liui fontem fuisse uerisimile est. — κβ', 11: XXXVIII, 7, 4—13. Eius rei, quod diligenter Liuius uertit Polybium[1]), indicium est error quoque, quem committit § 10 in uertenda Polybi § 14, de quo u. p. 41. — κβ', 12—15: XXXVIII, 9, 3—11. Liuius alium fontem iuxta Polybium non spernit, sed nihil graue ex eo addit, nihil enim, quod Polybius non habeat, in Liuio legimus, praeterquam quod M. Valeri nomen „Laeuium" et ad C. Valeri nomen „fratre" uocem ex fonte Romano addidit. Quod narretur Pol. 12, 4 et ea uerba, quae sunt ἐν ἓξ μησί c. 13, 3, in Liui contextu, quem dicimus, intercidisse ualde uerisimile est, cum ex industria Liuius talia praetermittere non soleat. Narratio transfertur Pol. 14, 3 Romam statimque discrepantias conspicimus; additamenta saltem non exigua alterius fontis Liuius hic non aspernatur. Namque, quae habet Pol. 14, 4, multo amplius exposita sunt L. 10, 3 secundum alium scilicet fontem. Quod attinet ad nomina Δᾶμις, Pol. 14, 6, et „Leon", Liu. 10, 4, alterum ex iis emendandum esse uidetur ex altero; nam non licet arbitrari, Liuium id nomen, quod Polybius tradidisset, prorsus contempsisse et aliud praeposuisse. Pol. c. 15, cum iam de foederis condicionibus agatur, re quam grauissima nec exornando apta, nihil aliud Liuius sibi faciendum esse uidet, nisi ut Polybium quam accuratissime in singulis quoque uerbis sequatur nam inde ab initio foederis condiciones ad uerbum ex Polybio uertit: quam ob rem c. 11, 2 inter „aduersus" et „socios" intercidisse „ipsos", congruenter cum Pol. § 3 ἐπὶ Ῥωμαίους ἢ τοὺς συμμάχους καὶ φίλους αὐτῶν, certum uidetur

1) cuius uerba accuratiora exstant a Muellero edita in Iosephi editione modo nominata.

esse [1]). De obsidibus paullum plura uerba fecit Polybius, quae Liuius breuiter comprehendit, sed mirum esset, si *εἰς ἔτη ἕξ*, Pol. § 10, praetermisisset; restituendum igitur est Liu. § 6 „obsides quadraginta arbitratu consulis Romani *in sex annos* dato“. Tertiam tantum pecuniae partem, Pol. 15, 8, auro soluere licuisse non commemorat siue breuitatis causa siue famae Romanae condicionibus mitioribus decorandae causa.

κβ', 16: XXXVIII, 12, 1; item fortasse: *κβ'*, 17, B. 939, u. 27—29: XXXVIII, 14, 3. — *κβ'*, 17, B. 939, u. 30 q. s.: XXXVIII, 14, 4—14: Liuius etsi non solo fonte utitur Polybio, tamen nullo loco Polybio aduersa fronte obstat, excepto uno nomine urbis, quod in utroque scriptore uidetur corruptum esse. L. § 10 et P. 11 leguntur nomina „Alimne“ („Alinde“) et *ἐν Τεμένει*, quae quin eundem locum significare debeant et eadem forma ab utroque scripta sint non dubitandum est; quam ob rem unum ex altero emendandum est et scribendum, ut quidem ueri simillimum est [2]), in Polybio *ἐν*

1) Ea coniunctio trium membrorum, ut secundum sit additum *ἀσυνδέτως*, tertium „que“ particula, saepissime in Liuio legitur, e. g. II, 40, 7 „mater coniux liberique“, XXXVIII, 38, 12 „conquirendi q. s.“

2) Liuius cum addat „quae appellatur“, non putandum est antecessisse simplex nomen proprium solo casu nominatiuo substantiui alicuius formatum, propterea quod tum esset nulla causa uocis, quae est „quae appellatur“, adiectae, sed apparet in hoc nomine aliquid singulare reconditum fuisse. Hoc, quod quaerimus, singulare inuenimus in Polybi nomine *ἐν Τεμένει* (etsi hae literae sunt non prorsus sincerae), scilicet illius urbis nomen non primo declinationis casu uolgarique forma scribi solebat, sed pendens a praepositione, quae est *ἐν*. Porro Liui uox „Alimnen“ (lectio cod. Mog.) aut „Alymnem“ (cod. Bamb.) ipsa uestigium praepositionis corruptae in se habet, scilicet „ad“ praepositionis. Restituto igitur „ad Limnen“ (cf. VI, 2 *ad* Metium) restat dissensio a Polybi uerbo *Τεμενη* (sic enim cod., cf. Drakenb. ad loc. Liui). Quod si mutamus in *Λίμνῃ*, habebimus congruentia duo nomina „*ἐν Λίμῃ*“ et „ad Limnen“. Quod Liuius *ἐν* uertit „ad“, tantum abest, ut obstet, ut eum accurate ratiocinatum uertisse indicet, qui cum nomen urbis cuiusdam „in palude“ esse nequire putarit, eam uim, quam *ἐν* praepositio hoc loco habet, recte assecutus sit uertens „ad“ praepositione. Quod nihil audimus de illo urbis nomine, non obstat, nam ne de *ἐν Τεμένει* quidem

Λίμνη, in Liuio „ad Limnen". Praeterea, quamquam Liuium hic praeter Polybium alio quoque fonte usum esse constat, tamen, quae § 4 habet de numero militum cum Heluio missorum et § 14 de sex diebus, Polybius non minus narrasse uidetur; quam ob rem numerus ille ante nostram eclogam, hic post eam in Polybi contextu, qui dicitur, scriptus fuisse putandus est. Exciderunt praeterea in ecloga nostra fortasse uerba illa de XXV talentis, quae leguntur Liu. § 10 et 12.

κβ', 18: XXXVIII, 15, 3—6. Aut in Liuio ex Polybi *Κολόβατον* mutandum est „Colubatum" (aut Colobatum) aut in Polybio ex Liui „Cobulatum" mutandum *Κοβόλατον* (aut *Κοβούλατον*); utrum faciendum sit, non liquet.

κβ', 19: XXXVIII, 15, 8—11. Ex alio fonte Liuius habet, quae addit de Sagalassenis Pisidis, nisi forte omissa sunt in Polybi uerbis ab excerptore. Polybi uerba hic uehementer excerpta esse puto; ita urbis Darsae quoque mentionem Liuius certe in Polybio legit.

κβ, 20, 1—3 (B. 941, u. 25—33): XXXVIII, 18, 3. V. p. 40. Dissentit Liu. a Polyb. in eo, quod dicit „ipsum in eam gentem iturum", cum ille dicat „*διότι πρεσβεύσει*", qua mutatione res gloriosior fit Romanis. — κβ', 20, 4—7 (B. 941, u. 34 q. s.): XXXVIII, 18, 7—9. Liuius licet praeter Polybium habuerit alium fontem, tamen Polybi uerba de hac materia copiosiora uidentur fuisse, quam nunc leguntur. Quae Liu. affert de Sangario flumine, ea quoque fortasse ex Polybio habuit, in quo excerptoris tantum culpa deesse uidentur. — κβ', 20, 8—9 (B. 942, u. 8—14): XXXVIII, 18, 14—15. — κβ', 21, 5—12 (B. 942, u. 22 q. s.): XXXVIII, 24, 2—11. Plutarchus cum non putandus sit attulisse integra uerba Polybi, nihil obstat, quominus eum illa quoque, quae Liuius nunc ipso plura habeat, in Polybio legisse statuamus.

siue de „Alinde" quidquam comperti habemus; totus ille tractus terrae ignotior erat. Ceterum regionem illam aqua (*λίμνη*) abundasse testatur Strab. 12, 8, 17; praeterea nouimus in illa lacum Ascanium et in Pisidia complures alios, u. Kiepert. tabul. geogr.

κβ', 22: XXXVIII, 25, 1—11. Polybius est fons princeps; itaque ueri simillimum est, Polybium § 11 scripsisse ἑξακοσίων consentientem cum Liu. §. 10 aut Liuium ibid. scripsisse „quingentorum". — κβ', 23, 2 (B. 945, u. 25—27): XXXVIII, 33, 10—11; eadem monenda sunt, quae de κβ', 21, 5—12.

κβ', 24—26: XXXVIII, 37—39, 2. In prima parte Liuius quasdam sententias profert, quas non ita accurate expositas habet Polybius, ita ut aut Pol. uehementer excerptus esse putandus sit aut Liu. ex alio fonte illa sumpsisse. Foedus cum Antiocho ictum Liuius totum habet ex Pol. et ita quidem accurate, ut multi loci, quibus consensus turbatus sit, sine dubio sint emendandi. Atque primum quidem Pol. 26, 5 post χώρας lacuna non solum uerbis Polybianis ipsis, sed etiam Liuianis detegitur[1]. Pol. 26, 5 demonstrat, Liu. 38, 5 ante „arma" intercidisse „nisi"; Pol. § 9 recte coniecit Vrsinus, u. edit. Bek., p. 948 ima; in fine § 8 intercidisse uidetur ἐν ῥηταῖς ἡμέραις (aut tale aliquid) secundum Liu. § 6 „ante diem certam"; num Pol. § 11 τοὺς ἐν Ἀπαμείᾳ rectum sit, ualde dubium est eaque dubitatio augetur Liui de hac re silentio Cum obscurior sit sententia in Pol. § 10 et Liu. § 8, in alterutro, nisi potius in utroque scriptore uerba turbata uidentur. Dissensio inter Pol. § 13 et Liu. § 8 culpae librariorum deberi uidetur, nam ualde fit ex Liuio probabile, Polybi uerba fuisse μηδὲ τριακοντακώπ ο ν ἐχέτω μ ε ί ζ ο ν α μ η δ ὲ μ ο ν ή ρ η ἐλαυνόμενον, item Pol. § 14 ante ἀκρωτηρίου secundum Liu. § 9 intercidisse uidetur ἢ τοῦ Σαρπηδονίου[1]. Quae Pol. § 17 dicit: ἀτελῆ δὲ κ. τ. λ., ea in Liuio intercidisse non est dissimile ueri; sed quae § 18 dicit: ἐὰν δὲ κ. τ. λ., ea Liuius re uera omisisse potest. Pol. § 20 ante τν' ἐν ἔτεσι intercidisse τῷ Εὐμένει et per se et ex Liuio intellegitur; Liu. § 14 post „septem" intercidisse „drachmas CIƆCCVIII" ex Polybio perspicitur. Pol. § 26 fortasse omissa sunt ab excerptore ea,

1) Haec iam uidit Leutschius in Gött. Gel. Anz. 1855, p. 263.

quae reddita sunt a Liuio „aut, si utrisque placebit, bello“. Pol. § 28 non solum, ut Bek. putat, ob Liui uerba, sed etiam ob Polybi ipsius, cf. c. 25, 7, ex *κεκομικότας* mutandum est *κεκομικότα*. Quibus mutationibus, quae pro maxima parte in Polybio faciendae sunt, u. pag. 21, adhibitis prodibit perfectus consensus inter Liuium et Polybium; nisi mutaremus, nihil restaret, nisi ut diceremus Liuium Polybi auctoritatem spreuisse, quae esset sententia et per se improbanda et refutata per Liuianam in hoc foedere uersionem accuratam Polybi; Polybium in hoc capite, 26, ualde mutilatum esse prodit etiam ex eo, quod, etiamsi mitteremus comparationem Liui, iam uerbis Polybianis per se spectatis mutandum esset § 5, (11,) 20 et 28.

κβ', 27: XXXVIII, 39, 7—17. In § 17 est indicium Liuium praeter Polybium altero usum esse fonte; quae dicit Liu. § 10, ea certissime in Pol. § 5—6 interciderunt. Pol. § 10 *αὐτὸς*, quod nihil ualet, ex Liuio in *Προυσίας* mutare ne quis dubitet. — *κβ'*, 27, 13 (B. 951, u. 15—16): XXXVIII, 39, 6. Ex Liuio intellegitur hoc Polybi fragmentum ponendum esse ante id, quod nunc in editionibus antecedit. — (*κγ'*, 4—5: Quae uerba Polybi in his titulis excerpi iubentur, cf. Schweigh. ad c. 4., iis pro magna parte usus est XXXVIIII, 24, 10; 24, 14—27, 14; 33, 6 q. s.; 35, 6; 34; 35, 8).

κγ', 11—12: XXXVIIII, 33. Ex Liu. 33, 3 intellegitur ante *Περραιβίᾳ* in Pol. c. 11, 3 intercidisse „*Θετταλίᾳ καὶ*“. — *κγ'*, 13—14: XXXVIIII, 34—35, 4. Pol. 13, 1—7, ubi de solis Philippi rebus agitur, Liuio solus fons fuit, deinde accessisse uidetur alter fons. Inter Pol. 13, 3 et 4 expositio consili Philippici scripta fuisse uidetur, quam excerptor omisit; hoc et ex Polybi genere narrandi uniuerso et ex uerbis *περὶ τῆς πράξεως* elucet, quae nunc non habent, quo explicentur.

κδ', 1—4: XXXVIIII, 46, 6—48, 4. Vt fieri solet, res, quae Romae in senatu agitur, minus ex Polybio quam ex fonte Romano narratur; interdum uero Polybi uerba uersa esse uidentur, e. g. c. 1. — *κδ'*, 6: XXXVIIII, 53, 10—14. — *κδ'*, XXXVIIII, 53, 2—7. Ex Liuio apparet, hoc Polybi

fragmentum ponendum esse ante id, quod nunc in editionibus antecedit, licet cod. Vrs. auctoritas obstet. — κδ', 8: XXXX, 3. Prima et ultima parte fragmenti non usus est Liuius. — κδ', 8a, p. 976, 14 q. s.: XXXX, 8. — (κδ', 9, 5—8: XXXVIIII, 52, 7) — κδ', 10: XXXX, 2, 6—3, 2. Liuius Romanos quoque fontos adhibuit neque minus quam Polybium. In Pol. § 1 post Φαρνάκου inserendum esse καὶ Φιλίππου et ex Polybio ipso, u. §. 7, et ex Liuio c. 2, 7, elucet. — κζ', 1—2: XXXXII, 44. Quamquam aliquoties, e. g. 1, 8, ad uerbum uersa sunt, tamen quaedam in Liuio, e. g. § 4, exstant, quae alium fontem iuxta Polybium adhibitum esse demonstrent. — κζ', 3. XXXXII, 45. — κζ', 4—5: XXXXII, 46. Liuius addit ex alio fonte res minoris momenti In eo a Polybio dissentit, quod hic quidem, c. 4, dicit Antenorem et Philippum missos fuisse Rhodum, Alexandrum in Boeotiam, ipse uero eosdem, qui missi essent Rhodum, res in Boeotia egisse; fortasse a Polybio dissidere noluit, sed minus accurate tantum locutus est. — (κζ', 7: XXXXII, 48). — κζ', 8: XXXXII, 62, 3—15. Polybio usus esse uidetur solo fonte, neque uero affirmari potest. Primae paragraphi eclogae Polybianae ab excerptore uehementer contractae sunt.

κη', 3—5: XXXXIII, 17, 2—9. Quod uerba Polybi cum Liuianis non accurate consentiunt, hoc eo explicandum est, quod Suidae non intererat Polybi uerba accurate tradere. — κϑ', 1a: XXXXIIII, 23. (Polybius non fuit fons princeps, sed tamen in fontium numero.) — (κϑ', 6, 1: XXXXIIII, 35, 19). — κϑ', 6, 8—10, B. 1039, u. 9—14: XXXXIIII, 37; certe usus est Liuius ea historiae particula, ex qua hoc excerptum sumptum est; item κϑ', 6, 14—17, B. 1039, u. 24—31: XXXXIIII, 42, 2).

κϑ', 6b: XXXXV, 8, 6—7. — κϑ', 7: XXXXV, 3, 3—8. Et ex Liuio et ex rerum toto connexu prodit, hoc excerptum esse ponendum ante id, quod Bek. posuit c. 6b.

κϑ', 11: XXXXV, 12, 4—7.

λ', 1—5: XXXXV, 19—25 (exceptis capit. 22—24).

Polybius non est fons princeps. Liuius quamquam nonnunquam ad uerbum uertit, tamen pleraque ex alio fonte addidit; neque uero probabile est Liuium a Polybio dissensisse in nominando pretio coronae aureae, praesertim cum ne uno quidem uerbo Polybi auctoritatem nominet impugnetue. Quam ob rem aut Pol. c. 5, B. p. 1052, u. 31 *μυρίων* in *δισμυρίων* mutandum est aut Liu. 25, 7 „uiginti" in „decem"; utrum praeferas non liquet.

λ', 10: XXXXV, 31. — (λ', 12: XXXXV, 42). E qua historiae parte fragmenta λ', 15, 1—2, B. 1061, u. 25—31, sumpta sunt, ea usus Liu. est XXXXV, 28, q. s.

Ludouici Tillmannsi Vita.

Natus sum Francofurti ad Moenum a. d. VIII. kal. Mart. anni h. s. XXXVIII parentibus *Isaac* et *Iulia*. Fidei addictus sum euangelicae reformatae, quae dicitur. Postquam in schola, quam illic dicunt normalem, literas, quae ad uitae quotidianae usum potius pertinent, doctus sum, anno h. s. LI in gymnasium transii, quod Francofurti tum florebet rectore *Voemelio*, postea *Classeno*, qui ipsi etiamnunc praeest. Vbi cum *Classeni* imprimis *Fleckeisenique*, quos grato semper prosequar animo, disciplinis fructus essem, uerno tempore anni LVI maturitatis testimonio instructus in academiam Georgiam Augustam migraui, ut studiis philologicis me darem. Scholis ibi interfui philologorum *Curti*, *a Leutsch*, *Sauppi*, *Wieseleri*, aliorum *Lotzi*, *G. Muelleri*, *Ritteri*, *a Stein*, atque contigit mihi, ut seminari philologorum exercitationibus interessem per annum sodalis ordinarius, postquam munere sodalis extraordinarii per par spatium functus essem, itemque ut inter seminari archaeologici, quod *Wieselero* directore floret, sodales ordinarios auctumno tempore anni LVII reciperer. Verno tempore anni LVIII Gottinga relicta Bonnam profectus sum, ubi scholis interfui *Buecheleri*, *Diezi*, *Iahni*, *Langi*, *Loebelli*, *Ritscheli*, *Schopeni*, *Welckeri*. Quibus omnibus uiris cum debitas gratias ago, tum non possum quin me imprimis *Iahnio*, *Ritschelio*, *Welckero* plurima debere confitear, quorum disciplinis et alias fruebar et in consessibus seminari philologorum, inter cuius sodales ordinarios ut reciperer uerno tempore anni LVIIII directorum beneuolentia mihi contigit. Praeter seminari philologorum scholas, quarum per bis sex menses particeps fui sodalis ordinarius, licuit mihi et *Iahni* exercitationibus archaeologicis interesse per biennium et *Loebelli* historicis per annum.

Theses controuersae.

1) *Liu. XXV, 19 scripsit: haud dubia res fuit, quippe inter Hannibalem ducem et Centenium centurionem.*

2) *Polyb. III, 71 uerba sincera sunt haece:* παρακαλέσας δὲ — — — τῷ καιρῷ παρήγγειλε ἐννέα τοὺς ἀνδρωδεστάτους κ. τ. λ.

3) *Vsu tantum fiebat apud Romanos, non lege, ut censores rationem magistratus gesti reddere non deberent.*

4) *Paus. II, 31, 1 haec scripsit:* ἀλλὰ τό τε ἐκ τοῦ λαβυρίνθου διευρεῖν ἔξοδον καὶ λαθόντα ἀποδρᾶναι κ. τ. λ.

5) *Liu. XXVIII, 9, 15 uerba ita sunt emendanda: Neronemque, etiam si pedes incedat, ob partam eo bello uel spreto triumpho gloriam memorabilem fore.*

6) *Postquam discipuli poetas epicos latinos nouerunt, statim uersus hexametros facere coepisse debent.*

7) *Plaut. Bacch. u. 43 sic facillime emendatur:*

reperiam,
ab istoc milite ut, ubi emeritum sibi sit, se reuehat domum.

8) *Polybi liber XVI amplexus est res gestas annis 553 et 554, liber XVII res annorum 555 et 556, liber XVIII res annorum 557 et 558 similiterque materia plurimorum annorum erat distributa.*

9) *In Schilleri carmine, quod „die Glocke" inscribitur, uersus 405 ita legendus est:*

Und führen das begrenzte Jahr.